ANTONII CACERIS
PATIECI HISPANI
IN HAERESIARCHAS
ORATIONES QVATVOR.

Ad Reginam Galliæ, & regni Proceres Orationes duæ.

Ad Principes Germaniæ, Oratio una.

Ad populum Germanum, Oratio una.



ROMÆ
Apud IVLIVM Accoltum.
MDLXX.

ILLVSTRISS.mo ET REVEREN.mo
D. FRANCISCO PATIECO TOLEDO,
Epiſcopo Burgenſi, & S. R. E. Presbytero Cardinali.

Antonius Caceres Patiecus S.

ETSI multorum olim hominum à Chriſti diſciplina degenerantium confidentiam reipublicæ Chriſtianæ magnas clades attuliſſe legimus, Ampliſſime Cardinalis, tamen nullam aliam, ſi recte perpendimus, moleſtiorem, aut magis improbam & pernicioſam, quàm Martini Lutheri ſectam reperiemus. Etenim cæteri ab Eccleſia defecerunt, ſeque in fraudes capitales, & turpitudines uitæ præcipitauerunt: ſed contra reliquos tamen ciues, contra Imperatorem, & Pontificem Max. non arma ſumpſerunt, non fecere delectum, non uexillum aliquod ſuſtulerunt. Hic uerò uenerabilis monachus non contentus ſegregare ſe ab Eccleſia Romana, & fide catholica, multos quoque alios ſecum in eandem turpiſſimæ uitæ communionem incitauit, Germaniam perturbauit, arma cepit, ductauit exercitum. Atque hac eius latius procedente teterrimà regendæ Reip. ratione adeo graues communium temporum caſus per hoſce annos quadraginta in Europa extiterunt, ut multi mortales in prælio ceciderint, & multæ factiones excitatæ ſint, quæ florentiſſimam alioqui prouinciam uariis partibus infectam dilacerarunt. Sed hoc non graue, niſi illud grauius eſt, Germanos quoſdam principes uiros huius turbulenta diſciplina condocefactos & impulſos, in ſuum coniuraſſe Imperatorem Carolum quintum, nulla de cauſa commotos, non prouocatos iniuriis, non ullis oblatis incommodis laceſſitos. Cui quidem tunc ita fa-

ceſſitum eſt negotium,ut propius nihil fuerit, quàm ut Imperii columen in hoſtium manus deueniret. Sed inclyta illa Cæſaris & diuina uirtus & illum ab ingruente periculo liberauit,& quaſi clariſſimo edito miraculo, quàm Eccleſiæ Romanæ propugnatores protegat ubique Chriſtus, patefecit. Verùm hæc indigna ac nullo modo ferenda. Quid autem illa? Chriſti Vicarium iniquiſſimis maledictorum notis inurere, Apoſtolorum Chriſti doctrinam tollere, ſanctiſſimorum Pontificum decreta reſcindere, Chriſti legem,ut ſuam reponerent, delere? Atque hinc illa mala,factiones, bella, direptiones urbium,uexationes ciuium, uirginum, & matronarum raptus,orta ſunt, quæ uni certè merito aſſignare debemus Luthero: quem ſi germinantem tunc primo radicitus euulſiſſent,non profectò dinceps fruticaretur ita feraciter, ut plures nunc ſurculi,quàm ille ediderit,renati ſint. Nam, ut uerum fateamur, non ferè in Germania paulo literis eruditior quiſquàm fuit, quin magiſterium ambierit, & ferendis legibus ſit utilitatem,& honores,& apud imperitos etiam homines falſæ gloriæ umbras aucupatus. Atque hinc eſt,quòd diſpartiti inter ſe ciues non modò in una urbe uariis factionibus diuiſi, ſed uel intra eoſdem lares de religione diſſentientes reperiantur: cui malo ita multiplici & uario, quod unum medicamen facere poſſit medicinam,nullũ uideo.Nam ſi horum ægritudinem curare uelis, qui omnia ciuibus egentibus & mendicis porrigenda legibus ſanciunt, fortaſſe illorum recrudeſcat uulnus, qui negant aliquid alteri largiendum de ſuo. Si eos refutes, qui ſola fide ad immortalem uitam nituntur,quid illis facies, qui in bonis operibus & honeſtatis officiis omnia collocant? Sed bene habet: hoc eſt omnibus commune peccatum, quòd omnes à fide Romanæ & apoſtolicæ Sedis deficiunt,in hanc conſpirant,hanc demoliri,hanc expugnare conantur. Ergo quis erit uſque eo patriæ inimicus,aut adeo diſſolutus & ignauus, aut porrò tam infirmè animatus atque uecors, ut cum hoſtes irruentes uideat,non uel armis,uel,ſi hæc non ſuccurrant,fuſtibus,& fragmentis ſeptorum,& lapidibus, & uel ſui corporis oppoſitu murum aſcendat,uim illatam repulſurus? Sed, ò deplorandam hominum, & temporum corruptionem:quotuſquiſque

ex noſtris fuit, qui non uel dormitarit egregie, uel oſcitanter opem tulerit? perinde quaſi uel ſi iam debellatum nobis eſſet, uel nunquàm hoſtes extitiſſent, uel in eo conflictu non de uita omnium noſtrum & fortunis, de ſtatu catholicæ religionis, de Pontificis maximi authoritate delenda, de Chriſti inſtitutis attentandis ageretur. Quod unum mihi quidem neque ſatis ingenio ualenti, neque ab arte inſtructo, neque nobili ex fama acriter ſtimulos admouit, ut quicquid poſſem, quod uideo quàm ſit exiguum, ad hos uel curandos, ſi recipiant remedium, uel repellendos, ſi animi uitio & petulantia mouentur, omnes meos conatus conferrem. Qui mei labores cum conſecrandi certe alicui uiderentur, per cuius manus Galliæ proceribus, & Principibus Germanis traderentur, tu imprimis occurriſti, Cardinalis ſanctiſſime, quem uelle ſi poſſes, & poſſe ſi uelles, facere ſum arbitratus. Nam primum tua eſt generis nobilitas perantiqua & nota, iam inde à multis retro ſæculis ex Patiecorum ſemine per ſeriem non uacuis ſpatiis interceptam, ſed pulcherrima ſobole perpetuam & continuam deriuata: atque ex ea quidem ſtirpe tot Duces, & Marchiones, tot etiam optimates, & principes uiri in propè milleſimum & ſexageſimum annum propagati ſunt, ut totam facile Hiſpaniam rerum geſtarum gloria illuſtrarint, & nunc tua certe maxima cum laude numerentur. Hic percenſere poſſem Franciſcum Patiecum Ducem Scalonenſem, hic Petrum Patiecum Cardinalem illum, qui non ita dudum Romæ ſanctiſſimus & eruditiſſimus deceſſit. Hic complures alios, inter quos unus eminet frater ille tuus Germanus Rodericus Cetraluenſis Marchio, de cuius uirtute, animi altitudine, excelſitate, conſtantia, fide, clementia, probitate, non eſt hic dicendi locus. Sed tamen hic unus, ſi cæteri defuiſſent, multorum erat inſtar optimorum habiturus. Tua uero admirabilis & præclara uirtus quanta ſit, uel ex hoc facile cernimus, quod illa te ad hunc ampliſſimum dignitatis gradum non diuturnis precibus efflagitatum, non indignis modis quæſitum, non ad alienæ petitionis occaſionem interceptum, ſed meritis tuis debitum, & tributum ſola perduxit. Quamquàm quæ iſta pulcherrima & ſalutaris ſolitudo, cum hominum te turba deſerit, bo-

narum

narum artium diſciplinæ comitantur? ſic enim tu bonis artibus à prima pueritia inſtitutus es & eruditus, ut cum iure merito poſſis haberi conſultiſſimus, cæteris quoque politioribus literis ſis ualde ornatus. Noui ego te à primis annis perfamiliariter. Sumus enim, ſed ipſe paululum ætate progredior, penè æquales: ambo ex eadem natione, ex eadem urbe, ex eadem Patiecorum quoque (quod ipſe ſcis) familia. Itaque cum te, tuoſque omnes ſenſus bene cognitos habeam, & exploratos mores, admirandum mihi quidem non tam uideri ſolet, quòd abſens ſis in ampliſſimum hoc collegium cooptatus, quàm quòd tibi uel ſatis mature, nobis autem ac religioni Chriſtianæ ita ſero ſis uocatus. Iam enim à primis annis qui aſſiduitatem tuam in literis, qui admirabili ingenium, qui clementiam, humanitatem in omnes, ſapientiam, probitatemque conſpexerant, ſæpe ac ſerio clamitabant te his uirtutibus, his naturæ dotibus præditum, ſatis habere uiam ad maximos quoſdam honores ac dignitates munitam. Sed cum modeſtia tua ſingularis, & uirginalis uerecundia in tenebris abditum detinerent, reliquæ tuæ maximæ, admirabileſque uirtutes ſapientia, grauitas, eruditio, animi magnitudo, conſtantia, fides te, ut ipſe pro tua modeſtia interpretaris, prodiderunt: & in hac omnium Chriſtianorum arce, ac totius orbis luce collocarunt. Hæc igitur cum in te reluceant non fucata populari & uentoſa ſpecie, ſed clariſſimis notis ueritatis expreſſa ſigna uirtutis, dubitandum mihi non fuit, quin ad te acerrima concertatione implicatus accurrerem, ut cum periculo dimicantem fauoris tui me ſcuto protegas, uireſque redintegres. Sed dices fortaſſe, inuidioſum eſſe, ac ualde ſuſpectum Germanis omnibus huius collegii Ampliſſimi nomen: eſto. Verùm tu cum ſemper mendacio reſtiteris, ueritatem, fidem, ſanctitatem adamaueris, erit credo periculum, ne non poſſis improbum omnis ſceleris architectum Lutherum, & reliqua teterrima hæreticorum capita comprimere, uiros autem nobiliſſimos, atque omnium laudum genere (excipio coniurationem in Chriſti Eccleſiam) digniſſimos Germanos Principes reducere in uiam aberrantes? Illud reſtat, te ut obſecrem & obteſter, ut cum tuo, tum Reip. nomine Pontifici Maximo alioqui

qui

qui ſapientiſſimo & ſanctiſſimo uiro, humili animo te ſupplicare ſuſtineas pro Germaniæ Principibus, pro populo Germano: ſi uidet hos ab hæreſiarchis à ueritate ad impietatem traductos, ut ſolita ſua clementia denuo, & charitate paterna complectatur; ut reuocet à uia declinantes, ſpem certam ueniæ dedat, conſoletur dolentes, cohortetur redeuntes, roget obſtinatos. facile bonam populi partem, & ex Principibus non neminem, ſi fecerit ille, ſe ſe iam nunc collecturos puto, ad eumque uenturos errati ueniam petentes, & orantes ut ignoſcat. Quòd ſi te admonitore & adiutore obtinebimus, ò illos beatos, quibus ſit conceſſum à tenebris in lucem redire: ſed te quoque felicem ac planè beatum, per quem tot milites, ita præſtantes, & ſtrenuos in hoſtium poteſtatem deditos Romana eccleſia recuperarit. Quod ut diligentiſſimè adnitare, multa te adhortari poſſunt, Præſul ampliſſime, ſed illud in primis, quòd nulla re homines, ut ait Cicero, ad Deos propius accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Sed forte quæres a nobis, Præſul ampliſſime, cur cum Reginam Galliæ, & Principes eius regni uiros in hæreticos incitauerim, Regem ipſum non appellem. Enimuero quia cum hæc cœpi ſcribere, Regem pro certo audiueram uix dum agere duodecimum annum, neque reipub. gerendæ cura pro ætate tenella tunc temporis occupari. Nunc uero cum iam ex ephebis excedere uideatur, ſummaque iam in eo appareat ſpes, ſumma ingenii indoles, ſummaque uirtutis, præcipua is mihi exhortandus eſt ac peculiari oratione, ut Romanæ Eccleſiæ non ſolùm patrocinium ſuſcipiat, quod maiores eius plerique ſedulo factitarunt, ſed ut diligenter Galliæ fines ab hac impuriſſima lue tueatur, ſemperq; habeat in memoria regiam ſibi perſonam ab Eccleſia magna cum excellentia, præſtantiaque eſſe impoſitam. Quam orationem cum alteris duabus, ad Louanienſem Academiam una, altera ad Pariſienſem, ad te mittam, ubi prorſus iſtas tibi non faſtidioſè fuiſſe probatas intellexero. Vale.

[illegible]

[illegible] Vale.

AD REGINAM GALLIAE, ET REGNI PROCERES,

ANTONII CACERIS PATIECI IN LVTHERIANOS.

ORATIO PRIMA.

CVM, REGINA POTENTISSIMA, Nobiliſſimi ac fortiſſimi Proceres, Gallias audierim Martini Lutheri,& eius ſectatorum partim ueneno infectas eſſe, partim armis oppreſſas, bellorũq; incẽdio uaſtatas, moleſte ſane pro eo ac debeo, meorum ciuium (eiuſdem enim ciuitatis incolæ ſumus, ideſt, eiuſdem Eccleſiæ) caſum calamitatemq; tuli: tũ uero etiã Eliſabetha Hiſpaniæ Regina, tua probatiſſima & præclariſſima filia, ſic ſuos hic moderatur ac regit, ſic etiam beneficiis quotidie omnes nos, & regali munificentia deuincit, ut non modo tuam chariſſimæ eius matris, ſed uel propinquorum,& omnium Gallorum, ſi ingrati animi uitiũ fugere uolumus, non ſecus ac noſtram uicẽ dolere debeamus. Ac primum me cum huius regni tui alioqui feliciſſimi diuerſarũ ſectarũ uarietas ac diſcrimen,& tamquã fictæ religionis a uera religione diuortium diu conturbarit, ualde optabam, a Deoque Opt. Max. precabar aſſidue, ut eiuſmodi Galliæ concederet rectores, qui & ſapientia extirpare errores peſtiferos poſſent,& uirtute contenderent: quod utrumq; cum uos, nobiliſſimi Proceres, facere cõſpicimus, magna ſpe ſumus omnes Chriſtiani, ueſtra iſta fide, integritate, uirtute, ſapientia, bonitate, religione, potentia quoque & uiribus adductum hoc regnum, nouas iſtas in dies de religione ſuborientes peſtiferas opiniones eſſe depoſiturum, & ad priſtinam alacritatem & requietem rediturum. Quod ipſum animo cum cernerem, mirabiliter quidem primum delectatus in eo, & recreatus ſum: deinde continere me non potui, quin tibi ac tuis, quando præſens non poſſum (longe enim abſum) per literas maximas gratias agerem cum meo nomine, tum etiam reip. Nam ſi, qui populi motus & ſeditiones leuioribus de cauſis concitatas ſe-

dant, hos tanquàm beneficos, & ſalutares ciues magnis honoribus & beneuolentia complectimur, uos qui non leuem, & tumultuariam turbã, ſed diſſentientes inter ſe de religione grauiſſimos & locupletiſſimos totius regni uiros ſapientia componitis, ferociſſimos exercitus uirtute uincitis, quibus laudibus celebrabimus? quibus ſtudiis proſequemur? quibus elogiis publice ad immortalitatem conſecrabimus? Sed enim animaduertere uos, & obſeruare oportet, ſceleratiſſimos adhuc ſupereſſe hoſtes. Multæ namque inter ſe diſcrepantes de Deo, & de religione opiniones ex Germania in ueſtram, & totius Chriſtianæ reipub. ruinam, tãquàm ex equo Troiano milites in Troiam, ante paucos annos prodiere, quibus complures opinionibus decepti, uiri boni illi quidẽ, ſed non admodum prouidi, in laqueos ſe induxerunt eos, e quibus ſe nonnulli extricarunt, multi etiam irretiti adhuc ſunt, neque ſe facile expedient. Nomine enim ſanctitatis, blandæ uoluptates, & uitia prætexuntur innumera, ad quæ cum ſponte noſtra adſpiremus ipſi: tum uero cum ſine crimine, aut peccato (ut illi uolunt) ea nobis fruenda proponuntur, libentes atque alacres in interitũ ruimus uoluntarium. Atque hæc rerum nouarum introducta in rempub. exitialis doctrina, tantam ubique attulit cladem, ut fere Europam acerbe ſit depopulata. Quotus enim quiſque in Germania non cecidit in prælio, uel, quod grauius eſt, non in religione claudicauit? Flandria quoque infecta eſt, Britannia corrupta, Gallia nunc ex parte laborat: quanquàm Regum, & optimatũ quorũdam ſingulari prudentia & admirabili uirtute factum eſt, ut qui ambitione, cupiditate, auaritia, ac ſcelere inflammati hos tumultus excitauere, gladio perirent: qui errore & ignorantia aberraſſent, reuocarentur in uiam. Atque hoc quidem loco non poſſum Philippi Regis ſingularem uirtutem, puriſſimam religionem, admirabilemq; prudentiam tacitus præterire, qui in expurganda Hiſpania, quæ non leuiter hoc malo tentabatur, tantam adhibuit animi attentionem, cogitationem, uigilantiam, laborem, aſſiduitatem ac diligentiam, ut reſectis breui ulceribus, non modo apud noſtros ſcelera ipſa, ſed ne ueſtigium quidem ullum ſceleris appareat. Atque id quidem tanta eſt celeritate confectum, ut prius hæreticos omnes apud nos combuſtos eſſe, quàm ullos eſſe ſit auditum. Sed ut huius ſapientiſſimi ac prouidentiſsimi Regis laus ubique prædicanda eſt, ita non admodum eſt nonnullorum etiam regum, & uirorum principum culpanda cunctatio. Nam ut in corporum morbis ſapientis profecto medici eſt, leuiora prius, deinde,

ſi uis morbi ingraueſcat, in dies acriora & perurentia medicamenta adhibere, nec, ſi opus ſit, parcere ferro: ita & boni rectoris eſt, conſiliis prius ſuos ad bonam menté reuocare, deinde minis etiã terrere, poſt pœna afficere, ad extremum obſtinatos delere: quod cum uos admirabili iſtic conſilio, & ratione aggredi uideamus, non poſſumus non in maximam, ut in initio dixi, uenire ſpem, quod in hoc regno ab orthodoxa fide nutat, in ueterem Chriſti & Romanæ Eccleſiæ religionem caſtiſsimam iri breui reſtitutum. Quanquàm illud uos in primis attendere & conſiderare oportet, magnæ cuiuſdam fuiſſe calliditatis hoc hæreticorum inuentum, expetere & flagitare a uobis induciarum tempus, cum pacem nec petere, nec ſperare ipſi auderent, ut illa ſcilicet temporis uſura fruentes, dubios impellerent, fortes attentarent, parum in religione ualentes & infirmos deiicerent, quibus profecto pactis induciis, facta libere cuique poteſtate quomodo quiſque uellet de religione ſentiendi, tunc quaſi nullum adhuc bellum ſupereſſet, ſed debellati iam hoſtes, & parta eſſet uictoria, explicare ſuas ingenii copias in concionibus, in colloquiis familiaribus, in angulis cœpere, omneq; euomere uirus in Pontificem Max. & in Senatum populumq; Chriſtianum, ideſt, in Eccleſiam catholicam. At hoc ubi gentium? in eo regno, unde plus adiumenti Pontificibus Romanis atque Eccleſiæ, quàm detrimẽti per Gottos, & Vuandalos, cæteroſque Chriſtiani nominis hoſtes acerrimos eſt importatum. In quo regno potentiſsimi & feliciſsimi Reges propter ſingularem fidem erga Eccleſiam, & Pontificem maximum, Chriſtianiſsimorum nomen inuenere: in quo denique tanta apud omnes religio & morum ſanctitas fuit, ut cum hæreticorum plurimæ peſtes per quingentos, aut paulo amplius annos, multa & florentiſsima regna & imperia contagione affecerint, hoc unum ſibi ne tentandũ quidem putarint. Atque ita quidem cum uobis cæteri, quid in hac parte inuidere poſſent, haberent, nihil tamen certe habebãt quod obiicerent. Sed ſi ſemel decepti cecidimus, iam nunc omni conatu elaborandum eſt, ut honeſte ſurgamus. Neque uero procraſtinãdum uobis diutius arbitremini, Proceres nobiliſsimi, ne ſi forte curatio differatur, tunc demũ adhibeantur remedia, cum uitiato corpore toto nulla ſit relicta pars, cui facere poſsitis medicinam. Ego uero cum uobis conſulere, aut ſi forte id paulo inſolentius eſt uerbum, uos commouere & excitare miles audeam, certamen horreſcere, ac prælium ſubterfugere non uidebor ignauus, non, inquã, uidebor ignauus: ſed his nouæ ſectæ authoribus ob-

uius hoſtis occurram, ſi non uirium robore, at certe animo forti & inuicto formidandus. Etenim meme neque plane elegantem, neque ſatis ornatum, aut horum procax copia dicendi, qua maxime nitũtur, aut fucata argumenta, quibus malitioſe & acriter pugnant, aut audacia incredibilis, qua freti cæteros præ ſe omnes contemnunt, a propoſito & dimicatione deterrebunt, quominus ea, quæ reipublicæ, uobisque utiliſsima fore cenſebo, accurate deſcribam. Ac primum ſic agam & enitar, ut a uobis Regina præclariſsima, nobiliſsimi Proceres, hi omnes Lutheri ſectatores (ex hoc enim fonte fluxerunt) & diſcipuli primum hoſtes patriæ publice nominentur, deinde de induciis cum his inutiliter factis breuiter, & ut ſpero, non inutiliter dicam. Etenim ut illos hoſtes eſſe, & quidem acerrimos patriæ iudicetis, tametſi uos effrænata hominum audacia, qui pacatiſsimum regnum, ſeditionum fuatum procellis perturbare in ueſtro conſpectu non uerentur, & eorum inſolentia incredibilis commouere & excitare debet, tamen alia ſunt minus ferenda, uirgines per uim uiolantur, matronæ a maritorum complexu ſegregantur, uectigales ueſtri, coloni & ſocii partim male tractantur, partim fuſi & fugati ſunt, exuſti agri, municipia uaſtata. Video uos hic iam iracundia incredibili, & generoſo mentis ardore inflammatos eſſe. Mitigate uos parumper, cum cætera narro: leuia ſunt iſta, leuia profecto, quantũuis acerba & dura præ illis, Dei templa cõpilantur, uirgines ſacræ rapiuntur, ſacræ Diuorum & Chriſti imagines uæneunt, ſummus Pontifex conuitiis iactis, Eccleſia Romana uulneribus inflictis laceratur. O ſummam omnipotentis Dei admirabilemq; clementiam, paſcit illos frugibus & fructibus omnis generis, aptis ueſtit indumentis, omnium rerum affluentia ditat, afficit delitijs, animum ſpirabilem præbet, uitam donat, cum interim illi Dei amicos & ciues Chriſtianos, cum ſanctiſsimum eius Vicarium, cum eius ſponſam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam omni uerborum impuritate exagitent, & omni contumeliarum & probrorum genere afficiant. Atque hoc ipſum cum omnibus ita pateat, ut nemo non uideat, dubitandum erit, ut eos nefarios reip. hoſtes appellemus? ſcilicet cum illi nos omni diritate uulnerent, uerendum nobis erit, ne nos illos uel iuſtiſsima nominis appellatione perſtringamus? Etenim ſi maiores ueſtri, noſtra & patrum memoria pro Mediolanenſi arce, aut a noſtris occupata, aut obſeſſa, pro oppido Turino aut defendendo, aut recuperando, periculoſiſsima & difficillima ſæpe bella geſſerunt, uos pro ueſtra,

& omnium Chriſtianorum arce Romana Eccleſia non modo obſeſſa & oppugnata, ſed afflicta, & quodammodo oppreſſa non geretis? Illi non modo non hæreticum aliquem, ſed ne appellationẽ quidem ipſam, & hæreſis nomen in ſuo regno ferebant. Vos in eodem ueſtro hæreticorum uelut apum examina fertis, alitis, ſuſtinẽtis? niſi forte hæretici iudicandi nõ ſunt, quos eſſe iudicauit œcumenicum concilium, quos ſummi Pontifices diris omnibus defigendos, & obnunciatione uoluerunt, quos denique doctiſſimorum uirorum Pariſienſis ſchola Lutetiæ ſæpe damnauit, ſenatusq; ille centumuiralis, quem uulgo Parlamentum appellatis. An uero expectatis de cælo uocem, cum habeatis illam, Ab Aquilone pandetur omne malum? cum tot etiam & tanta habeatis non modo hominum, ſed Dei, hoc eſt, eius in terris Vicarii, adeo grauiſſima & expreſſa iudicia? Sed credibile non eſt (forte dicat aliquis) impiis tam Deum futurum clementem fuiſſe, neque porro cauſa erat, quin illos aut fulmine percuteret, aut illico peſte deleret: immo uero contra, cum ipſemet hominibus Deus pro arbitrio cuiuſque uiuendi & ſentiẽdi dederit poteſtatem, tunc ab æterno illo conſilio ſuo (quod nefas eſt dictu) uideretur diſſentire, ſi eodem ſublato arbitrio, terroribus & minis quemquam de propria ſententia & uoluntate deiiceret, in contrariamq; depelleret. Et quemadmodum excellens omnis pictor, quo aliquid in tabula eminentius eſſe & extare uideatur, proximas tabulæ partes latentes & obſcuras eſſe patitur: ita & diuinus artifex fabricatorq; mũdi Deus, ut Chriſtianæ ciuitatis pulcherrima ſpecies ac decor illuſtrius appareat, cæteras orbis regiones tenebroſas, & impietatis caligine denigratas non interleuit. Sed enim ille ipſe inquit. *Attendite a falſis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uuas, aut de tribulis ficus?* Potuit illuſtrius iſtorum mores & uita, qui nunc in Chriſtianam remp. impune graſſantur, uno uerbo depingi? Nam primum ficto non modo ſermone, ſed etiam inceſſu & uultu, ueræ ſe laudis amatores uideri cupiunt, multa ad corrigendos mores afferunt, frequentes concionantur de religionibus ſacris, loquuntur ad populum de extollendis iacentibus, curandis ægrotis, pauperibus ſubleuandis, de omni recto conſtituendæ ſtatu & ratione reipublicæ: quin & ipſi mendicis nonnunquã largiũtur de ſuo. Quid plura? id ſcilicet ut ſimulatiõe probitatis, & inani uirtutis oſtentatione quemuis decipiant. At procedente paululũ tempore furor, qui uiſceribus inhærens ſimulatione incluſus tenebatur,

nebatur, prorumpit aliquando, prorumpit ut incenſus ignis, atque ante eorum oculos, quibus ſe religioſos oſtentarant, inceſta flagitia committunt, & ſpurciſſimas libidines exercent. Iam tunc ſacramentalem criminum confeſſionem,& reliqua a Chriſto Domino inſtituta ſacramenta, & ipſam in primis Pontificis maximi poteſtatem præſtigiis, & blaſphemiis perſtringere audent, cæteraq;, quæ uelut ſanctitatis uelis obtēdebantur, ſua decreta prodeunt exitialia in Eccleſiam & in Deum, atque ita magnopere omnino cauendum eſt, ne pietatis ſimulatione uos falli patiamini. Omitto cæteros, quorum mihi moleſta, uobis (opinor) ingrata futura eſt commemoratio. Quidam doctor apud nos dudum fuit magna ſpecie ſanctitatis adornatus, & magna copia dicendi præditus, & uſque adeo a noſtris hominibus celebratus, ut poſt homines natos neque ſanctior, neque difertior quiſquàm fuiſſe diceretur, atque omnes in eam ſententiam pro ſuo quiſque ſenſu ac iudicio loquebatur: at intra finem anni uertentis deprehenſus eſt uirgines Deo ſacratas ſimulatiōe matrimonii uiolaſſe, peccata ne ſacerdotibus aperirentur, Pontifici maximo ne obtemperaretur, nocturnis concionibus, atque alia eius generis ſexcenta ſuis gregalibus perſuaſiſſe. Quid quæritis? qui tantum in Hiſpania incendiū excitauit, uirtute Regis Philippi & patrum, & tandem inquiſitorum ſententiis, impietatis damnatus, incendio ignis conflagrauit. Quod ſi hoc malum obſcure ſerpens altiores egiſſet radices, mihi credite, multorum, qui nunc Chriſtiani uere ſunt, religionem fruſtra requireremus. Quare extinguendi huius inflammati incendii uoluntas uobis non ſatis eſt, niſi remedii celeritas adhibeatur. Neque uero uos in eos, contra Eccleſiæ Romanæ ſanctiſſima decreta qui dicerent, tam oportebat eſſe clementes. Clementes dicam, an remiſſos? diſſolutos non audeo. Nihil enim minus conuenit in hunc ſplendidiſſimum ordinem: ſed tamen tam remiſſos, ut legum ſuarum uobis rationem reddendam putaretis, potius quàm illos ex ueſtris laribus, ac oppidis, ex regno procul exterminaretis. Nam ſi ueterum, & ſapientiſſimorum exempla conquirimus, eorum qui ne leuiter quidem uiolari uerbo ſunt paſſi religionem, pene innumerabilia reperiemus. Athenienſes ſculptorem ſuo tēpore præclariſſimum Diagoram, cum ſuaderet in ſenatu, Mineruæ ſimulacrum ex ſaxo ſculptum potius quàm ex ebore ut facerent diuturnitatis gratia, libenter audierunt: eundem tamen ipſum, uilitatis cum adderet, & tacere iuſſerunt, & a conſpectu & curia remouerunt, ſapienter factum. Non enim eius Deæ, quam illi

om-

omnium bonarum artium inuentricem & perfectricem fuiſſe putabant, ſimulacrum ex ebore, aut auro cælari ſatis pro dignitate rei fore cenſebant: cum ille alter, quaſi Deæ maieſtatem contēnens, pretii uilitatem afferebat. Iidem Athenienſes Socratem, qui philoſophiæ parens iure dicebatur, hominē innocentiſſimum, quòd nouam quandam religionem introduceret in rempub. capitis condemnauerunt: nec iniuria quidem. Nam ſi nulla populi rogatione, nulla legitimi concilii conuocatione, ſeu ſupremi in Eccleſia ſenatus ſcitu & authoritate cuiuis nouam religionem cominiſci & confingere conceditur, mihi credite, nouarum religionum pullulantium quotidie nullus unquàm finis conſtituetur. Quid autem Locrenſes, ut autor eſt Demoſthenes? Nonne decreto ſuo mirabiliter ſanxerunt, ut ſi quis nouam aliquam legem uellet condere, is eam in eculeo poſitus promulgaret, ut ſi eius rationem legis populo probauiſſet, nulla pœna afficeretur, lex in tabulis incideretur: ſin minus eius, qui ſanciret, ſanguine abrogaretur. O ſapiētiſſimos homines, & ſi in Chriſti ciuitatem adſcripti eſſent, plane diuinos. Sed quod illi in humanis legibus, ut quiſque nouas ſanciret, non ferebant, uos in diuinis, & ad Eccleſiæ & Chriſti honorē pertinentibus feretis? Agite, uiri Proceres, permittite hanc omnibus poteſtatem, ut ſine rogatione Senatus, ſine authoritate Pontificis, quas quiſque uelit leges poſſit afferre, neque ullius criminis affinis eſſe uideatur, tunc, mihi credite, plures legum latores quàm populares homines, plura legum capita quàm hominum reperietis: quæ quidem ipſæ ut tolerabiles eſſent, ſibi tamen leges obſtreperent, & aliæ aliis officerent, omneſq; laborarent facilitate abrogationis: tantaq; eſſet rerum ubique perturbatio, & inobſcuratio doctrinæ, ut nulla multo ſatius eſſet lege rem publicam regi, quàm tot ita contrariis. Sed res ſcilicet geſta eſt bene. Nam cum ea lex & religio, quæ Chriſtianos moderatur ac regit, non ſit hominis atramento, ſed Chriſti ſanguine in cruce ſancita, nunc, quod dictu nephas eſt, demum Martini Lutheri, & aſſeclarum eius eſt cenſuræ exponenda? & cuius religionis fundamenta ſanctiſſimi patres Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Damaſcenus, uiri omni doctrinarum genere præcellentes exploratā ſatis & excuſſam, uiuentes magno cultu uenerati ſunt, & integrā & illibatam reliquerunt, Oecolampadius, Zuinglius, Caluinus, & cæteri eiuſmodi portenta & funera reip. caſtigabunt? O illos audaciſſimos, ſi faciunt: uos contemptiſsimos & abiectiſsimos, ſi patimini. Non ſinetis uiri Proceres, non patiemini, non feretis.

Neque

Neque enim patria illa gallica uirtus, quod hi ſcelerati rentur, uſque adeo degenerauit & elanguit, ut his latronum, ſicariorum, lenonum cateruis non audeat occurrere: ſatis iam diſsimulauiſtis, uobis, quæ adhuc facta ſunt, diſplicere. Non amplius conniuendum eſt, ne qui non paulo attentius rem expendunt atque conſiderant, tam peccatum in eis hærere dicant, qui non admonuerint, quàm in eis qui non obtemperarint. Differendo impij meliores non fiunt, audiendo ſani debilitantur, aut etiam ægrotant. Succurrendum uobis omni cæleritate eſt reipub. laboranti: nam ubi ſemel effrænara impietas pudoris metas impudenter prætergreſſa eſt, nullius uirtutis clauſtris, nullis rationis cancellis, nullis iuris repagulis contineri poteſt. Volitat illa in foro, dominari cupit in gymnaſiis, dominari in concionibus, regere, uel potius auertere ciuitates, remp. gubernare, principatum appetit, tyrannidem affectat, quam tyrannidem cum in magnis Germaniæ & florentiſsimis prouinciis adepta ſit, putat id ſibi in Gallia quoque & in Hiſpania licere. Sed quàm nihil apud noſtros eius nerui, lacerti, uires ualuerint, experti ſumus: quàm nihil apud Gallos ualitura ſint, breui (ut opinor) experiemur. Nam cuius regni acies nempe acerrima præſtricta nunc grauiter eſt, diſcuſſa caligine iam iam acutiſsime cernet, & hoſtium fraudes præſtrigiasq; uidebit. Sunt etenim in eo regno multi ſapientiſsimi & fortiſsimi uiri, qui hæreticorum inuolucra expediant, qui confidentem aſtutiam, & callidam nimis audaciam coerceant, qui animi altitudine tumultuantes operas cohibeant, exercitusq; latronum exagitent atque conficiant: quod ut faciant, pacati & religioſi ciues innumerabiles petunt. Regina ſuos proceres hortatur aſsidue. at quæ Regina? ſi prudentiam quærimus, quæ feminas uincat. ſi uirtutem, quæ cum fortiſsimis & præſtantiſsimis uiris ſit conferenda: ſi ſanctitatem, ſi mores, ſi religionem, quæ malit millies mortem oppetere, omnesque animi & corporis ſubire cruciatus, quàm a recta conſcientia paululum diſcedere, aut ab Eccleſiæ Romanæ inſtitutis tranſuerſum unguem aberrare. Sed obſtant fortaſſe pactæ cum hoſtibus induciæ, quas quidem non feciſſe laudandũ eſſet, factas reſcindere non erit uituperandum. Quid enim aliud iſtæ ſibi uolunt perſonatæ induciæ, quàm ut hac pactionum inſimulatione per hos omnium ſcelerum architectos, cum poſsint nunc quiduis impune attentare, ueſtri ciues incauti decipiantur, timidi terreantur, nimium religioſis ſcrupulus iniiciatur, nimiũ diſſolutis omnis ſcrupulus eximatur, dubii impellantur, non

dubii

dubii infuſcentur. Nam dum illi uos pacificatoriis induciis impli catos uident, ſua ſemina exitialia ſecuri ſeminant, uel potius in regno ſaniſsimo ſua ſpargunt peſtifera uenena. Atque hac prope callida aſtutæ uulpis uoce decepti eſtis, ne ſi dogmata noſtra rationibus luce clarioribus probauerimus, audiendi ſimus, ne ſi, in rite concilii conuocati ſententiam ibimus, durum uideatur: itaque ceſsiſtis. Probant igitur ſua dogmata palliatis mendaciis? forte nituntur rationibus ueris, aut ſolidis argumentis? certe non faciunt. Dedunt ſe ſe in poteſtatem concilii? nihil minus. Quid igitur illi in eo quæſierint, uidetis: quid uobis agendum ſit, conſiderate. Nam aut pactas inducias irritas facere oportet, aut uobis turpiſsimis hoſtibus, ideſt, turpiſsimis nouæ huius ſectæ inſtitutis ſeruiendum eſt. Sed inducias ſeruare, legatos non uiolare nõ modo generoſæ nobilitatis uſu & more receptum eſt, ſed hominũ etiam iure cautum. At eſt aliquod ius aut naturæ ipſius, aut hominum, cõtra authoris naturæ & hominum, quod uim ullam poſſit habere? Et cum ſæpe homines parui lucri obiectus ſplendor impellat in fraudem, manusque hoſtium legatis afferre cogat, quod laudandum non eſt, nos non ſolum noſtris, ſed ſummi Dei perfidiſsimis hoſtibus, qui dolo, qui fraude nos, ſcilicet non uafros, non cautos circumſedere, qui maieſtatis læſæ rei tenentur, nimium religioſi parcemus? Etenim nullum integrum eſſe fœdus, aut pactum cum impiis, ſed quoduis debere reſcindi, ſapientiſsimorum uirorum iam olim ſanxit authoritas. At cui nõ ueſtra hæc cum hæretlcis pactio, addubitatio de re, & quaſi animi titubatio ambigentis uideatur? Quem ueſtrum non infringat hæc bello durior pax? quem non debilitabit? quid imperitos cenſetis, quid ſeditioſos, quid feminas incautas, quid ciues ineptos, quid denique uulgus ipſum? quorum quidem iam mihi omnium uoces exaudire uideor. Regius ſenatus perſpecta & cognita Germanorũ cauſa, & ſtatutis, poteſtatem cuique eligendi utramuis permittit diſciplinam. Ergo ita decernendo, utramque probauit ſenatus. Ergo decretum imperita plebs ſecuta, non putabit moleſtiorem ſibi eſſe debere, quàm Regem, quàm omnes bonos, quàm ſenatum. Itaque ſalutabit hos nouæ legiſlatores, alloquetur, inuitabit ad conuiuia, dabit ſe eis in diſciplinam, frangetur. Nam, mihi credite, malorum conuictus celerrime contagione totam inficit ciuitatem. At uero cũ in proprio cuiusq; corpore ſi quod eiuſmodi membrum eſt, quod reliquo corpori noceat, exuri & ſecari patiamur, in alieno corpore tam erimus clementes, ut ne conta-

B gione

gione infectam partem diſtrahi & ſeparari ſinamus? Etenim cum maximorum Pontificum decretis plurimorum, ſit nobis interdictum impiorum hominum congreſſu & colloquio, eos ipſos ſalutare, facinus profecto eſt, ſcelus in conſuetudinem uocare, flagitium in tectis recipere: quid dicam intra lares noſtros familiares eis de habitatione accommodare? Nulla equidem oratione ſatis digna rem indigniſſimam uobis explicare ſatis poſſum: ſed uerba cum deſint, uos ueſtri iudicij pondere rei atrocitatem penditote. Sed breui ſoluetur concilium, & actutum de regno amandabitur hoc malum, relegabuntur infecti. Primum, ut non diu prorogetur concilium, quod futurum putamus, cui erit integrum coinquinata latius ciuitate? Deinde, quis hoc tantum præſtare poterit, ut contagione affectam partem corporis diſcernat, & ueluti ſcalpello reſecet, atque comburat? Non diu eſt, cum in Germaniam hæc ipſa, ſed paulo mitior, paulo eneruatior (nondum enim ſanguinem uireſq; collegerat) impietas ingreſſa eſt, hoc ipſo per Germanos induciarum aditu & ianua patefacta, dici non poteſt, ſed tamen omnes uidimus, qua celeritate uniuerſam prouinciam, omni tunc ſanctitatis laude florentem, non præterueсta ſolum eſt, ſed occupauit, corrupit, incendit, uaſtauit. Quòd ſi imbecilla hæc impietas tantum iſtud tam breui in Germaniam excitauit incẽdium, quid nunc apud uos futurum putatis, eadem tempore, & loco, & uiribus corroborata? Miſerabilem his proximis duobus annis ciuium uexationem perpeſſi eſtis, magnis & multis excurſionibus hoſtium infeſtatum eſt hoc regnum, rapinis & latrociniis laceratum, ac pene confectum. At uero quis tantas ſtrages edidit? quis Imperator, aut belli dux infeſtuto exercitum contra Gallicam uirtutem ueſtram ductauit? Num Gneus Pompeius, aut Caius Cæſar, quorum alterius uictorias homines enumerant, alterius cum numerare non poſſunt, admirantur? Minime. Quis igitur? ignotus homo, terræ filius, Lutheri diſcipulus, cum omniũ hominum abiectiſſimus, tum flagitioſe imparatus a pecunia, & ab amicis. Sed hos ſpe rapinæ excitando, illos contemptæ religionis ſplendore obiecto commouendo, omnes admirabili copia dicendi infuſcando, multos in hanc miſeram & funeſtam rationem belli ciuilis coniecit atque detruſit. Sed non diu laturus ille impune eſt. Video generoſam Gallorum omnium ordinum conſpirationem ad defendendam rempub. neque paſſuros puto, ut Caluinus iſte neſcio quis, pſeudo propheta, Eccleſiæ leges uelit reſcindere, ſuas apud uos confirmare, ſi patiamini ut duriſſimum uo-

bis iugum ſeruitutis imponat. Si non patiamini, igni & ferro uobis omnibus & patriæ minitatur. Ita uero Caluine, nullos fortè alios, quos impudenter eluderes, reperire potuiſti præter Gallos, aut quorum maieſtas tibi, ac tui ſimilibus ludibrio eſſet, aut quo rũ abutercre patientia? Sed te non latet, quibuſcum tibi ſit res, & quæ ſemper iſtic maneat uindicta nocentes. Itaque diu non erit, cum te regni huius florentiſſimi perturbatorem, ſociosq; facinoris, omnes proceres, ipſaq; ſimul præclariſſima Princeps, primum hoſtes appellatione inurant, poſt aut reciſſis, aut expletis induciis, bello infeſtiſſimo perſequantur uictos, maximisq; ſuppliciorum generibus dilacerent. Quod ut facilius facere poſſitis, habes, Regina, præſtantiſſimos in regno ciues, fortiſſimos milites, bonorum omnium conſentientes animos. Habes generum potentiſsimum Philippum Hiſpaniæ regem, cui nihil perinde male olere fertur atque nomen hæretici, qui non uocem tuam modo expectat, ſed nutum obſeruat, ut cum magna, ſi fiet opus, equitum peditumq; manu, & potentiſsimo exercitu occurrat ad debellandum hæreticos. Quid autem Pontifex maximus, præclarum ſanctitatis lumen, ſplendorquæ uirtutis, qui florentiſsima & opulentiſsima iſtic habet oppida, qui plus de ſe non eſt, quàm de uobis ac religione ſolicitus, qui ſimulac inclamaris, ſuccurret. Multi præterea uiri principes magna uobiſcum aut ſanguinis, aut amicitiæ neceſsitudine coniuncti, ſunt ad hoc teterrimum bellum extinguendũ parati. Cum igitur incredibilis ſit omnium conſenſus ad hoc bellum, cum tot uenturi ſubſidio, cum ſcelerati ſint hoſtes, & conſcientiæ (cuius magna uis eſt in utramque partem) timore perterriti, cum inter ſe diſſentientes, excitate ipſi uos ad rẽpublicam capeſſendam, atque hos iam breui mucronibus, nunc tantum hoſtium appellatione uulnerate. Erigite animos ueſtros, non abiectos illos quidem, ſed quodam modo dubitatione languentes, ac propemodum oſcitantes, ad prohibendas rapinas, ad defendendas matronas, ad Eccleſiæ Romanæ dignitatem uindicandam. Siquidem uidetis hos ſpecie & ſimulatione ſanctos, re ipſa teterrimos & inquinatiſsimos, per ſenatum ueſtrum grauiſsimum, per ſacrum œcumenicum concilium Tridentinum, per ſummum Pontificem damnatos, & æternis dirarum maculis inuſtos. Non credatis uulpium doloſis fraudibus: ſolent enim in foueam inducere, & deturbare leones. Si quid autem habent, quod certe non habent, quo adiuuare nos ipſi poſsint, aut obfirmare quo ſimus meliores, afferant ad ſummum Pontificem, Chriſti Vicariũ,

B 2 caput

caput Eccleſiæ, principem conſilii publici, eo authore decreta am plectemur, quia ut optima eſſe agamus, authoribus illis ſuſpitioſa credantur. Quis enim ab hoſte mellis cum fauum accipiat, & nó timeat ſubeſſe uenenum? Sed improba ſunt, ſcelerata contra Eccleſiam, contra bonos mores, ut ſi ea me attentione, qua hodie audiuiſtis, iterum audire æquo animo uelitis, uos ipſe docebo. Vnum hoc reſtat, ut ueſter in uiſceribus & in medulis incluſus dolor pariat, quod iam diu parturit, quod ut quam primum fiat, te, præclariſſima Regina, & uos nobiliſſimi Proceres, per Deum immortalem oro, & obteſtor.

AD REGINAM GALLIAE, ET REGNI PROCERES,

ANTONII CACERIS PATIECI IN HAERESIARCHAS ORATIO SECVNDA.

VELLEM, Regina præclariſſima, potentiſſimi Proceres, Deus immortalis feciſſet, ut quemadmodũ ea quæ ore proſequũtur, audiendi ſenſu percipimus, quæ continerentur corde, ita animi ui & motu cogitata intelligeremus: non tam ſæpenumero ſimulato ore, & palliatis uerbis ab improbis deciperemur. Sed quia id humanæ, atque adeo angelicæ naturæ munus denegauit, ſibi ſoli reſeruans author naturæ, ſæpenumero homines fallimur, decipimur, erramus. Blanda enim & ſimulata oratio eius præſertim, quem uirum eſſe bonum putes, facile ſe in animos noſtros inſinuat, audientiſq; mentem impellit quò uult, & unde uult facile deducit. Cuius nõ animi aciem perſtringeret Martini Lutheri religioni fictæ ſuauiſſima conſonans oratio? Quem eius nunc ſectæ aſſertores pacem, otium, inducias inclamantes ſuis immanibus moribus prætendendo ſanctiſſimum nomen religionis, non impellerent, fallerent, inducerent? quem non ex uulgo imperitorum partim uerborum lenociniis, partim aculeatis, contortiſq; ſophiſmatis deciperent, in ſuamq; flecterent ſententiam? Atque ea quidẽ blanda eorum ſuadela multos induxit imperitos, ut errarent. Boemia decepta eſt, Germania laborauit, nuper Britannia, nunc Gallia laborat. Sed ſi incognitis eorum moribus & uita facile fuit multos ex noſtris partim ſimplices & incautos, partim uentri ac libidini deditos decipere, nunc exploratis iam eorum mentibus, & patefactis ſcelerum ſuorum ſordibus, nullos profecto decipient. Denuntient imperitis quantumuis ſcelerum omnium impunitatem, relaxent nos a ſanctiſſimæ uinculo ſacramentalis cõfeſsionis, liberent metu pœnæ mortuorum animas, nos orandorum Diuorum cura, omnia libera & ſolutiora proponant, his rapiendi ſpem, illis

illis fructum libidinis polliceantur, nullos iam tamen ueros Chriſti ciues, nullos inquam, aut quàm pauciſſimos decipient. Patent iam enim eorum funeſta conſilia, detecta ſunt opera tenebricoſa, patefacta ſcelerum ueſtigia, perſpecta & explorata impia dogmata, nemoq; eſt tam profligatus ac perditus, qui uel millies non malit mori, quàm ſibi æternam hâc lutheriani nominis maculam inuri. Sed enim illi ueteratores egregii nobis ſecum non armis (quanquàm illis nemo ſanguinarius magis, aut magis crudelis) ſed ratione clamitant, & ſacrarum literarum authoritate agendum eſſe Atque utinam nubila ipſa conſiliorum ſuorum non ſolum per me ſed iamdudum per uiros prudentiſſimos detecta, quæ illi ſanctiſſimis pietatis ac religionis nominibus tegunt, ita manibus tenere poſſetis, ut animo cernere & intueri poteſtis, fœdiſſimam eorum turpitudinem, ac uitæ improbitatem uideretis. Sed ſi id fieri non poteſt, uos in primis oro, ut conſpiciatis eorum deprauatiſſimos animos mentibus ueſtris, quos oculis non poteſtis. Etenim ipſorum quæ grauiora ſunt (quanquàm quid eorum non grauiſſimum & moleſtiſſimum?) dogmata hodie propalam collocabimus, leuiq; brachio impellemus, idq; ſatis futurum arbitror, ut cito labantur. Quid enim infirmius mendacio? quid imbecillius dolo? quid altero inconſtantius, altero timidius? quid utroque miſerius? Sed ne forte ii, quorum mores deprauatos, uitam inceſtam, inſtituta ſacrilega, leuiter mea perſtringit oratio, in inuidiam apud bonos uocare me uelint, quòd nulla laceſſitus iniuria illos offendam, huius apud uos in primis uel ſuſcepti (ut dicunt) criminis, uel ampliſſimæ potius laudis (ut reor) rationem reddam. Ac primum a uobis peto, & quæſo ut intelligatis, nullo me aut pretio commotum, aut ſpe excitatum, aut priuato meo, aut cuiuſquàm dolore affectum atque adductũ hoc munus ſuſcepiſſe: ſed amore magno erga uos, & charitate in rempublicam. Etenim nullus ex his, quos mea petit oratio, unquàm me aut maledictis laceſsiuit, aut malefactis affecit, aut iniuria prouocauit: communis me parens Eccleſia catholica commouit, cuius dignitatem cum oppugnari uiderem, arbitrabar iniquum ſi ipſe quieſcerem. Nam cum uiros omnium ordinum grauiſsimos & eruditiſsimos pro ſua quemq; parte laboranti Eccleſiæ opem ferre, & ſubuenire uiderem, ipſum me quamuis neque ingenio, neque ſatis eruditione ualerem, in hoc conflictu bonorum omnium ſedere tacitum, ciuis eſſe mihi plane uidebatur aut parum grati, aut certe timidi, & abiecti. Itaque nec patriæ laboranti, neque cõmodis ueſtris, neque honori meo

deeſſe

deeſſe uolui. Quòd ſi in acerrima urbis expugnatione nonnunquã uidemus, ut infantis pueri uagitu hoſtes irruentes prodantur, ſi non Romanorum illa inclyta & inuicta uis, ſed anſeris ſtrepitus & clamor Capitolium ſeruauit, quid ni & inter tot militum ueteranorum acutiſsimos gladios pro Eccleſiæ Romanæ defenſione ſuſceptos, noſter quoque pugio, quamuis ſit plumbeus, in hoſtiũ cateruas inuadet, præſertim cum ille ſummus imperator, pro quo belligerandum nobis eſt, non tam militum ſoleat uires, quàm mẽtem & affectum ponderare. Quare ſic iſtos ſiue Auguſtani, ſiue Lutheriani, ſiue quoquo modo dici uelint, exiſtimare de me uelim, ut putent amicum eſſe me, ac fore ſemper hominibus, inimicum uero improbitati. Quòd ſi quando ab iis erroribus emerſerint, quibus nunc implicati tenentur, ad bonamq; ſe frugem aliquando receperint, eodem profecto me temporis puncto, quo reſipiſcant, amicum experientur. Ac breui quidem fore ſpero, ut me cum his in uiam redeuntibus, eadem Eccleſia, a qua ſeſe alienarunt, ſit in amicitiam reconciliatura: interim uero ignoratione prolapſos, quorum ualde miſereor, & de quibus alias uerba faciam, nunc omnes miſſos facio. At hæreſiarchis, & huius prauæ ſectæ capitibus iã nunc inimicitias, acre bellum, ſi quid ſtyli mei mucro ualet, odio ſempiterno indico atque denuncio. Vos tamẽ interim, potentiſsima Reginã, nobiliſsimi Proceres, quæſo & oro, ut dum de toto prius genere, & uita horum legumlatorum dico, poſt dum præcipua eorum dogmata refuto atque conficio, hactenus, ut feciſtis, me attente audiatis. Ac primum huius mali fons, quod fere uniuerſam Europam peruaſit, Martinus Lutherus rerum nouarum author, & ſingularis architectus quàm fuerit non dico ganeo infamis, ſacrilegus adulter: ſed audax, petulans, uafer, ueterator & uerſutus nemo neſcit, quod & ſcripta eius declarant referta callidis ſententiis, adulationibus uiſcatis, conuitiis in reges, in optimates, in ſummum Pontificem acerbis. In epiſcopos uero, & ſacerdotum omnes ordines, in principes etiam uiros, popularis hic de repente, & de monacho miles, grauiter inuectus eſt ſine cauſa, ſine modo, aut ſine ulla inſtituta exagitandi hos, ſi nõ honeſta, at certe probabili, & adũbrata ratione. Et ut facilius ſuis deſeruire uoluptatibus, & ſe in fœda flagitia ex animi ſui ſententia, perturbata rep. ingurgitare poſſet, multa bella & periculoſa, & cruenta uehementibus & peſtiferis concionibus in patria excitauit, eamque telam ſuis fraudibus, & callidiſsimis uerborũ atque uitæ integumẽtis texit, ut magnas ſtrages breui ediderit, magnãq;

item epiſcopis, optimatibus, & plebi, popularis hic & ſeditioſus homo cladem attulerit. Nunquàm profectò, ac nuſquàm inteſtinum aliquod bellum tam crudele & exitioſum ab infeſtiſsimis hoſtibus geſtum eſt, quàm huius clariſsimi ſcilicet legiſlatoris, & pacis amantiſsimi, probitatis ſimulatione, & funeſtis ac peſtiferis cõcionibus inter Germanos concitatum. Cuius ergo tã infeſta ſunt opera & tam improba, eius poterit eſſe ſalutaris diſciplina? Aut eſt quiſquàm tam rerum ignarus & inſcius, qui ex hoc fonte exitiali ſalubrem iam ſe haurire poſſe aquam ſperet? Memoria uetera repetamus, nullum latorem legis præter hunc, & Mahumetum, luculentum utrumque ſuem, niſi uita caſtum, oratione moderatum, exemplo grauem & ſanctum reperiemus. Omitto Moſen Dei numine afflatum, cuius & uita fuit admirabilis, & oratio. Mitto Abrahamum ueteris circunciſionis primum authorem, qui ea uitæ ſanctimonia fuit, tanta erga homines charitate, ut hoſpitio & humanitate ſemper domus eius uel ignotos foueret: tanta in Deũ pietate, ut ne quid a diuina uoluntate diſcrepaſſe uideretur, chariſsimum ſibi filium in editum montem iugulandum aſſumpſerit: quod ſine ulla hæſitatione feciſſet, niſi angelus optatiſsimum ei nuntium, & Dei mandata, & arietem, quem pro filio iugularet, attuliſſet. Quid Licurgus, Solon, Draco? qui cum uera Dei religione obſtricti haud quaquàm eſſent, tamen innatis uirtutis ſeminibus impulſi, & uelut condocefacti, eum uitæ curſum tenuere, ut cum iuſtis, integris, religioſis moribus floruerint, facile decreta ſua quæ ſancirent, ipſi populo probauerint. At in altero iſto quid ſimile, quid manſuetum, uerecundum, pudicum, honeſtum? immo quid non petulans, ueteratorium, ad fallendum appoſitum, ad decipiendum accommodatum, ad calumniam promptum & fraudulentum reperiemus? Non equidem accuſatorie agam: neque enim aliquid fingam. Non fui ipſe in Germania cũ Martinus Lutherus ſacra & profana furore ſuo permiſcebat, cum publica & priuata omnia ſurſum ac deorſum trahebat, cum exitialia & funeſta bella excitabat: ſed omnes qui tunc ibi aderant, uiderunt, & miſerabilem ab eo calamitatem pertulerunt, quorum uereor ſcientiæ, quamuis multa dixero, ne oratione mea ſatisfaciã, tantum abeſt ut cum plura prætercam, aliquid affingiſſe me ſuſpicaturos uos putem. Nam ſi dolet Germania magnos ſuorum ciuiũ exercitus interfectos, interfecit Lutherus. Si deſiderat clariſsimos, & in regenda rep. præſtantiſsimos uiros, eos quoque nobis eripuit Lutherus. Si authoritas Eccleſiæ, quæ uiolari non poteſt,

afflicta

afflicta eſt, afflixit Lutherus. Omnia denique mala, quæ plura per hoſce quadraginta annos & uidimus, & perpeſſi Chriſtiani ſumus, uni Luthero accepta referamus oportet, qui huius in orbem obſcure & celeriter ſerpentis cauſa, peſtis, atque exitiū fuit. Sed enim eius, qui poſt eū exorti & ſubſecuti ſunt, diſcipuli non multo uita & ſermone moderatiores inuenti ſunt. Nam ubi mortuo magiſtro in uarias Germaniæ prouincias diſpartiti ſunt, & ad ſanciendæ religionis magiſterium aſcenderunt, quis uidit a communis uitæ ratione, & commodis, & iucunditatibus eos abhorruiſſe? quin interdum paulo ſolutius, quàm eorum ſimulationi ſanctitatis conueniebat, indignis ſe uoluptatibus & libidinibus contaminarunt. Atque hic iā infenſi & irati in hos multi ciues propter eorum non ferendam temeritatem & arrogantiam, de iis abolendis & ſeparatim domi, & ſimul publice cogitauerunt: tunc illi ſe iam non ſanctitate & religione, ut decebat Chriſti ſectatores, defendere, ſed armis & armatis hominibus cœpere. Atque eò uentum eſt audaciæ, ut comparata manu perditiſsimorum hominum, iam iſti egregii ſanctitatis ſcilicet & innocentiæ magiſtri, matronas rapere, uim afferre uirginibus, bona ciuium diripere propalam auderent: atque ita alios expoliando, alios occidendo, alios perterrefaciendo, alios in eandem cauſam ſpe præmii, & obiecto libertatis ſplendore alliciendo, non ſatis adhuc pacatam & quietam rēp. multis malorum procellis perturbarunt. Nec tamen inter eos diu conuenire potuit, neque ſatis firmam fieri pactionem. Iniquorum enim infida eſt omnis ſocietas, neque ulla amicitia turpi fœdere, aut uinculo copulata, poteſt eſſe diuturna. Itaque uariis diſiuncti ſentētiis, unuſquiſque ſua dogmata quaſi è cælo delapſa tuebātur, & ſcriptis & concionibus per orbem diſſeminabant: atque ita quidam Ariani facti ſunt, quidam Donatiani, alij Manichæi, alij Lutheriani, alij Sacramentarii, alii Anabaptiſtæ. Atque hinc facta eſt tanta ſectarum uarietas, ut neque ſcribæ ſufficere, neque tabulæ nomina ipſorum capere poſsint, nedum eorū authorum innumerabilia & multiplicia decreta continere. Quare in tanta illa doctorum multitudine, ut omnes eſſent tolerandi, tamen in tot contrariis, diſentientibusq; ſentētiis difficillimum eſſet iudicium, quem potiſsimum ſequeremur. At cum perditiſsimi ſint omnes, cum audaces etiam, & cum ſanctiſsimos (ut cætera præteream, uel ſuo loco reſeruem potius diſputanda.) chriſtianæ uitæ uiros, Benedictum, Auguſtinum, Hieronymum, Anſelmum, Baſilium, & quos non? uerborum contumeliis inſectentur, quos potius ſequamur,

quamur, quàm quomodo uniuerſos fugiamus (ne quid grauius dicam) ſecuri & otioſi conſultabimus? Etenim cum nulla gens tã ſit agreſtis & barbara, ab omniq; ſenſu & humanitate tam ſeiuncta, quæ non intelligat, cum unus ſit rerum omnium opifex & mundi author, unicam item, quæ in eius ueneratione & cultu ſit ſem per occupata, debere concipi religionem, quomodo iſti Lutheri familiares & diſcipuli tantam, & tam multiplicem ſectarum uarietatem ſuſtinebunt? Quomodo præſtantiorem eligent, & abrogabunt cæteras omnes? Quòd ſi ne illi quidem ipſi earum legum au thores id facere & præſtare poſſunt, quin inter ſe ſuper ea re quotidie miſere digladiëtur, nos eam legem quàm IESVS CHRISTVS ſanciuit, & multis exemplis diuinitatis editis cõfirmauit, quamque eius duodecim Apoſtoli, infinitusq; poſtea uirorum uirtute & ſapientia præſtantiſſimorum numerus ſecuti ſunt, repudiabimus, & in eius locum Martini Lutheri uiri (nihil amplius dico) ſacerdotis, monachi, & mariti diſciplinã ſubſtituemus? Non exiſtimo apud Gallos quẽquàm eſſe adeo expertẽ patriæ uirtutis, niſi qui nimio & inepto ſanctitatis amore decepti ſunt, aut libidinis furore obcæcati, ut Vuueſaliam Auguſtino, Vuicleffum Hieronymo, Ioannem hus Baſilio, Lutherum Gregorio anteponẽdum putet. Nam ſi ſunt præferendi noui ueteribus, ſapientibus imperiti, profani religioſis, & fatendum ſimul nobis eſt peccata recte factis, uitia uirtutibus anteferenda eſſe. Quid enim nos aliud docent Romanæ Eccleſiæ doctores niſi fidem, pudicitiam, pietatẽ, uirtutem amplecti & colere? Quid autem Lutherus & eius aſſeclæ, niſi fœda admittere flagitia, & inceſta facinora, ita ut libidini turpi non reſiſtamus, dummodo ſenſus noſtros aliqua titillet uoluptas, aut nos aliqua impellat utilitas? At, inquiunt, de Chriſti inſtitutis ne tantula quidem nobiſcum nobis contentio eſt. Laudatis illa? & nos quoque laudamus: ſancta eſſe dicitis? non negamus. Ad ſalutem utilia fatemur, & ſine horum præceptorum obſeruatione quemquàm in cœlum euolare poſſe neutiquàm confidimus. Sed quæ poſtea per alios partim doctores, partim Eccleſiæ pontifices nouata & adiecta ſunt, ea contemnenda, uel prorſus repudianda cenſemus. De Chriſti inſtitutis quàm cum Lutherianis nobis conueniat, poſt uiderimus, cum de ſacramentali peccatorum confeſſione, de pontificia noſtrorum criminum remiſſione & abſolutione, de diuina Hoſtia, quam uerbo græco Euchariſtiam appellamus, de purgatorio igne, de uotorum perſolutione, de ſummi Pontificis poteſtate ſingillatim tractabimus. Nunc de ue

ſtris,

ſtris, & noſtris humanis inſtitutis uideamus. Vos ueſtra uoluptaria ſatis & delicata decreta partim odio in ſummũ Pontificẽ acerbo ſuadente, partim domina libidine imperante inter mimos & mimas promulgaſtis: quæ nos habemus, Chriſti diſcipuli, & eius Vicarii admiranda ad formandos hominum mores, & u itam honeſte traducendam inſtituta, & chriſtianæ plebis ſcita, cum magno conſilio & conſideratione ſanxerunt. Vos magno quodam animi tumore, & arrogantia incredibili, ac uerborum fallacibus inuolucris populo leges impoſuiſtis: illi humanitate, manſuetudine, beneuolentia & puriſſima quoque elegantia dicendi populo ſuas promulgarunt. Vos diſſolutione animorum, libertate uiuendi, licentia peccandi ueſtra dogmata fulciri uoluiſtis: illi ſua utique uitæ innocentia, morum probitate, & denique multis & admirandis miraculis confirmarunt. An uero Martinus Lutherus, aut ueſtrum aliquis exanimes ad uitam reuocauit? aut claudis liberam gradiendi facultatem dedit? aut obſtructas ſurdorum aures, perforatis ab iis ad animum uiis, ad audiendum patefecit? aut lingua s mutorum in ſermonẽ reſoluit? aut malignis ſpiritibus exagitatos Chriſti nomine inuocato a miſeranda uexatione liberauit? aut cæcis denique aciem oculorum reſtituit? Hoc ſi facitis, ſi miracula tanta, ut Chriſtiani ciues ſæpe fecerunt & faciunt, edere conſueuiſtis, tamen leges Chriſti & Eccleſiæ Romanæ ſanctiſſimas ne reſcindite, ſed ſi quid ad corrigendos ciuium mores conſuetudine peccandi deprauatos habetis, afferte. Nõ enim ob hoc uobis ne leuiter quidem iraſcemur, quin magnas agemus gratias, & uos, ſi ſincere feceritis, laudabimus. Sed ſi minime poteſtis, cur tantum uobis & aſſumitis, & arrogatis, ut tot Pontificum, & ſapientiſſimorum uirorum, & in republica maximis in cauſis difficillimisq; temporibus cognitorum atque probatorum, inſtituta delere funditus audeatis, & in eorum locum ueſtra temere ſubrogatis? Addite etiã, quòd diuino illi afflati ſpiritu ſanctiones ſuas religione conſecrarunt, quas quidem per manus nobis uſque traditas, reuerenter, ac pie, & noſtra ſponte ſeruamus. Quòd autem noſtram diſciplinã uiuendi multum a uera illa & germana Apoſtolorum Chriſti degeneraſſe dicitis, non quæ uera ſunt, uolumus, aut debemus inficiari, ſed tota hæc noſtra, non doctrinæ, culpa eſt. Sancta quippe illa, nos uitioſi: illa honeſta, nos impuri: illa integra, nos corrupti & effeminati. Quare hominum uos (ſi tanto Chriſti amore & tam ardenter eſtis incenſi, trabe prius de ueſtris oculis abiecta) delicta tantum reprehendite, puriſſimam & caſtiſſimam religionem noli-

te uiolare. Morũ .n. proborum caſtitas, ſi per nos corrupta eſſet, nõ protinus religio ipſa eſt deleta. Etenim dum hominũ erit genus, dũ Chriſti Ieſu nomen apud mortales coletur & celebrabitur, numquàm non Eccleſia Romana ſanctiſſimæ parens religionis, uirtutis ſplendor, ſponſa Chriſti pulcherrima & erit, & appellabitur: ſummus uero ipſius Eccleſiæ Põtifex iõ caput, quia primarii capitis Chriſti Vicarius eſt; neque quiſquàm alius (quantumuis debachentur inſani) qui ad uicem Chriſti in terris propius accedat, quàm ſummus ipſe Pontifex, reperietur. Quod quidẽ ipſum, Lutherus, dum phrenetico mentis morbo correptus, & furore animi obcæcatus non fuit, uidit ipſe. In ſua enim ad Leonem Pontificem epiſtola, dum catholice ſapiebat, iis uerbis ſic præfatus eſt. Quare proſtratũ me, inquit, pedibus tuæ Beatitudinis offero cũ omnibus quæ ſum, & habeo. Viuifica, occide, uoca, reuoca, approba, reproba, ut placuerit: uocem tuam, uocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Ergo tam cito, quaſi uertiſti ſolum improbe rector? Cur ita defeciſti a Pontifice perfuga ad Bucerum, ideſt, a Dei optimi Vicario ad cacodæmona? Nunquàm ſane ueniſſet mihi in mentem cogitare, qui tam ſancte eſſet Pontifici ſubiectus, tam cito eò inſaniæ poſſe perduci, ut eum abnegaret. Sed tu, clariſſima Regina, cogita & conſidera, ut tot nõ eſſent uiri ſanctiſſimi, qui ualidiſſimis rationibus huius ferociſſimi monſtri conatus reprimerent, & contra cæteros quoque Eccleſiæ hoſtes acerrime dimicarent, quique uel naſcentis, uel adoleſcentis Eccleſiæ, uel iam adultæ decreta uelut humeris ſuſtinerent, qui multis quoque & illuſtribus miraculis confirmarent: tamen unum Petrum Lombardum, ex tuis uirum eruditiſſimum, ſatis eſſe qui recondita & admirabili doctrina uos omnes in Eccleſiæ debito obſequio & uere chriſtiano contineret. Hic enim unus ad tuos ſæpe ciues ſcribendo, hæreticorum omnes uias obſepiendo, omnes ad ueram religionem cohortando, tantum apud omnes ualet, ut cæteri ſi defuiſſent, huius tamen tanti uiri authoritas ad confirmandum potuiſſet eſſe ſatis. Quocirca neque frequens te ſophiſtarum chorus perſuadendo, neque optimates regni, ſi qui forte aberrant, obſecrando, neque concionatores importune conſulendo, de maiorum tuorum, & tua Chriſto & Romanæ Eccleſiæ addicta & dicata ſententia deiiciant, aut porro dimoueant. Quid enim illi afferunt, quare mutanda nobis ſentẽtia ſit, recedendũq; ab Eccleſia, niſi captioſa & leuiſſima argumenta? Nam eorum ſimulatæ pacis amor, uita ad fallendum compoſita, mores fucati &

Luthe- ri uerba.

improbi

improbi, nullo modo nos de ſententia dimouebunt, neque adducent in contrariam. Inſtituta uero iam eorum & argumenta, quibus pugnant, quam uim habeant, uideamus. Ex quibus equidē, Regina, & nobiliſſimi Proceres, præcipua & palmaria (ut illi putant) ob oculos uobis ponam, leuiterque refutabo. Hinc enim facile colligetis cæterorum argumentorum parietinas ipſas per ſe ſe ſine cuiuſquàm impugnatione, uitio proprio ruituras, quando ſic firmiora uel leui impulſa brachio labuntur: quam tamen ad rem ſanctorum uirorum non ſolum priſcorum, ſed eorum qui noſtra, & patrum memoria in hæreticos ſcripſerunt, argumentis, & tanquàm armis, ſi quando erit opus, libens utar. Neque tantum ipſe mihi uindicabo, ut ſine magna ope eorum & ſubſidio tantum hoc negotium tractare ipſe audeā. Qua tamē in re ſi utor inuentis aliorum, ingenii mei tarditatem indico, ſi tantum meis, arrogantis culpam ſubiero. Et quando in alterutro diſcrimen eſt, malo parum ingenioſus, quàm nimium arrogans uideri. Martinus igitur Lutherus, cui dudum ſummi Pontificis poteſtas, ut ex eius uerbis ſentire potuiſtis, ualde placebat, turpiſſime ad impium poſtmodum reuerſus uomitum, huius ſententiæ author eſt, Nihil præter cæteros ſacerdotes ſummi Pontificis poteſtatem eminere.

Mitto quàm inſulſa ironia, quàm inepta alluſione grauiſſimus hic lator legis in Chriſti Vicarium ludat: ad rem uenio. Si Chriſti diſcipulo Petro, & eius poſteris non genere, aut ſtirpis origine, ſed chriſtianæ profeſſionis ui, & Chriſti ſanguine procreatis leges condendi, chriſtianum populum regendi, malos puniendi, bonos recreandi, poteſtatem eripis, cur tibi eam, quæſo, attribuis? Tantum ne tibi permitti uis, ut illam diuini oris promiſſionem, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tibi dictam concedamus, & negemus Petro? At quæ tibi cum illo ſocietas? quæ uitæ communio? quæ morum ſimilitudo eſt? Petrus Chriſti amore ſua pauperibus largitus eſt, tu dæmonis impulſu aliena rapis: ille amator ſemper uirtutis fuit, tu perpetuus hoſtis ueritati: ille uitiorum hoſtis, tu ualde amicus: ille fortiſſimus Chriſti miles, tu leuiſsimus transfuga. Vide quid agas, non equidem dico, quiuis ex Chriſti ciuibus, qui paulo attentius rem ipſam expenderet, ſed uel Nero ipſe Petrum, cui antepoſuit Simonem magum, tibi anteponendum putaret. Enimuero magus ille nō negabat Petro datam eſſe ſummam poteſtatem, ſed uænire eā, ſibiq; pretio dari exoptabat. Sed quomodo (o ſtultum & profligatum hominem) claues regni cæleſtis Petrus uænales haberet?

aduerſus

aduerſus quas, affirmante Domino, portæ inferi uim nullam erant habituræ. Quomodo pro auri pondere quantumuis magno, ſed terreno tamen & caduco, rem longe pretioſiſsimam, & inextimabilem ac ſempiternam, ideſt, Dei gratiam & donum commutaret? Sed iterum hic Lutherus urget: Si Petro datæ ſunt Eccleſiæ claues, quo tandem modo uoce unius ancillæ Caiphæ ſpiritus ſatanicus eas expugnare potuit? cur tam ſæpe de Pontificum ſummorum manibus, cum fœda illi labuntur in crimina, tartarei principes illas extorquent? Colligis male Luthere, nam peccantibus tum Petro, tum reliquis ſucceſſoribus, perſonæ humanæ fœdantur, diuina illis data poteſtas non comminuitur. An uero cum tu nefaria crimina committis, cum tui quoque gregales tuo exemplo peccant, fidem uobis neque amitti, neque prorſus uiolari uis, ſed integram & illæſam ad ſalutem permanere, Chriſti autem poteſtatem ad humani generis utilitatem & ſalutem ſtabilitam, ita hominis lapſu amitti contendis? ita peccante Pontifice nos iſtis clauibus, ſine quibus non aperitur ianua cæleſtis, expoliare uis? Peccat Pontifex, plectimur nos? claudicat ille, nobis crura franguntur? Qua tandem id lege aut diuina, aut omnino humana fieri poteſt? Næ tu homo ſtolidiſsimus omnium, ſi ita credis, nequiſſimus ſi, cum aliter ſentias, ineptiſsimum ac pernitioſum dogma
Paulus ſimulata mente, ac nefaria lingua pronuntias. Nam quod ais pe
1.Co.10 tram eſſe Chriſtum, idque eſſe chriſtiani ædificii fundamentum, nõ male quidem, ſed captioſe narras: ſed hoc primario iacto fundamento, alia quoque ſecundum locum habent & ſubſtruuntur; non qualia uos uultis, interlita ſcelerum ueſtrorum luto, ſed ſanctitatis calce durata, ſummorum Pontificum cemento: quod di-
Apo.21 uus Ioannes ita ait. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim*. Quod uero aſſeris, Petrum Romæ non fuiſſe, neque propterea Romanã Eccleſiam principem eſſe cæterarum, inique facis ſi hiſtoriæ fidem omnem eleuare uis, quæ teſtis temporum, & rerum geſtarum eſt, & lux etiam ueritatis. Nam eo modo ſi, quia iã Lutherus demortuus eſt, eum ſcelerum omni genere pollutum fuiſſe qui dicunt, authoribus ueracibus & grauiſsimis, adduci non debemus ut credamus. Quid opus aliena monumenta euoluere, noſtra informare, literas diſcere, ſtudiis inſudare, leges condere, iura tenere, rempublicam gubernare? Nam ſi ſcriptorum omnium fidem adimis, amoue quoque homines, & rempublicam. Sed enim dices, Non oẽs, ſed eos dumtaxat qui nõ mendoſe ſcripſerunt, audio. Sed tu te iudicem ſtatuis, cæteris huius iudicii cognitione omnibus

bus interdicis? Hoc ſi facis, deſcribe leges, plebiſcita ſancito, ſacra & profana moderare, tabulas fige & refige, omniaque diuina & humana ad arbitrium rege, nos omnes pro pecudibus habeto: erimus profectò pecudes, erimus, Luthere, uel potius trunci & ſtipites, ſi quæ tu negaueris, non crediderimus ipſi: quæ rata uelis, non reſcindemus: quæ ſancta dixeris, non fucata, & doloſa, & pernitioſa reputabimus. Ac mea quidē ſententia deinceps ſi quid nobis afferatur, ne fidem ei ullam adhibeamus, & uel in candidiſſima ſententia putemus ſubeſſe uenenum, argumenti ſatis erit, dixiſſe Lutherum. Sed hic multi occurrunt, neque ſolum Lutheri niti ſeſe authoritate dicunt, ſed Melācthonis, Oecolampadii, Zuinglii, cæterorumq; Eccleſiæ Romanæ & catholicæ hoſtium ſententiis adductos, contra nos ualidiſsimis rationibus pugnare. Primū maluiſſem uos, quicumque hoc dicitis, atque hos rerum nouarum machinatores ſequimini, rectius ſapere, neque ita per eos ipſos perperam eſſe deceptos. Sed quando non decipi iā uobis integrum non eſt, ſecundo loco me, dum illorum opera male conſtructa demolior, uos oro ut attente audiatis. Quid igitur aiunt? quid uirulentæ linguæ mucronibus appetunt? quid orationis ſuæ aculeos primum in Romanam Chriſti Eccleſiam emittunt, eamq; ſi non euertere & iugulare poſsint, ſaltem fauciare conantur? Nā ſcriptis diuinis ſummam authoritatem ineſſe dicunt, Eccleſiæ non parem eſſe uolūt, uidelicet ut uaria & multiplici ſua interpretatione ſenſus caſtiſsimos Euangelii perturbando, omnia ad libidinem ſuam effingāt. Nam ſi recto ac ſimplici animo ſcripta diuina legerent, non tam illa cum Eccleſiæ decretis pugnare, quàm mirifice conſentire ac cohærere uiderent. Etenim ſi ſanctiſsimi quatuor illi Chriſti euangeliſtæ, qui eius nobis uitam, mores, diuina opera, præclariſsima geſta deſcripſerunt, eodem ipſo, quo ſancta mater Eccleſia, ueritatis ſpiritu afflati ſunt, quomodo aut aberrare poterunt, aut illi ab Eccleſia, aut ab his Eccleſia diſſentire? Quomodo tandem, quod ait Ariſtoteles, ueritati ueritas non cōſonabit? Sed ſcripturæ iterum, quam canonicam appellamus, inhæretis: neque tamen uos amore (ut puto) tam eius capti ac deliniti, quàm ueteratorio id & iniquo animo facitis. Sed quoniam ita eſt, atque ita uultis, ſcriptis ſtabitur diuinis. Sed quis tandem nobis, quæ ſancta & ſacra ſint, & quæ ſecus, præter Eccleſiā ſcripta enuntiabit? Quis Marci Euangelium ſacroſanctum, Nicodemi non ita, eſſe nobis reſerauit? Eccleſia. Quis Lucæ hiſtoriam diuinam amplexus eſt, Bartholomæi uero repudiauit? Eccleſia. Nā ſi

Euangelio

Euangelio obtemperandum nobis eſſe ducimus, id ea nempe de cauſa facimus, quia iubet Eccleſia. Neque tamen uos, qui ita ad ſcripturam tanquàm ad ſaxum adhæreſcitis, ſabbatha illa, quæ diuina præcepit ſcriptura, ſic colitis, ut ab omni opere ſuperſedẽdum putetis. & recte quidem: quia huic ſe ſcriptioni non ſine cauſa iuſtiſſima ſapiens interponit Eccleſia. Porro antequàm hiſtorici ſacri ſcriberent, ex ſaucio Chriſti latere nata erat, & tanquàm lacte nutricis ſanguine eius alebatur Eccleſia, & ea quidem iã tũc mirabiliter adoleſcens in Aſia, Aphrica, Europa non ſcriptis, ſed uiua Apoſtolorum Chriſti uoce propagabatur, atque ea ipſa poſt obitum proditoris Iudæ, Mathiam uirum omni laude digniſſimũ ſortitione diuinitus facta in ſacroſanctum Apoſtolorum collegium cooptauit, ſeptemq; Diaconos in ſacrum ordinem retulit, multaq; alia præclariſsima & optima ordinauit inſtituta, quæ qui uiolat, Chriſti ſe inimicum confiteatur neceſſe eſt, ac uelit nolit, ex ampliſſima ciuitate tanquàm capitalis hoſtis reip. amandetur. Fremant hic omnes licet, inclamitet Lutherus, Zuinglius, Caroloſtadius, Pellicanus, Stoplerus, Hicbmair, Pacimontanus, in catholicam tamen eccleſiam non cooptabuntur, quam ſic ludibrio habent, priuſquàm reſipiſcant, relictaq; fera & immani iſta coniuratione, ſtultitiam ſuam confiteantur, ueniamq; petierint. An uero cum duarum ciuitatũ ciuis eſſe iure ciuili nemo poſſit, iſtiq; ab Eccleſia profugerint, & in cacodæmonis ciuitatem ſint recepti, nõne Chriſti quoque legibus licebit ſancta ciuitate & chriſtiano iure, & libertate eis interdicere? At ſi uos ipſi in Chriſti nomine congregati Eccleſiam conſtituere uultis, cur tam inſtituta porro ueſtra a Chriſti manſuetudine, innocentia, uirtute, bonitate, charitate in ciues, pietate in Deum, aliena ſancitis? Si unum eſtis corpus Eccleſiæ (quod arrogans & temerarium eſt uos dicere, ridiculum nos audire) cur tam Zuinglius diſſentit a Melãcthone, a Caroloſtadio Melancthon, Caroloſtadius a Pacimontano, omnes a Luthero? Quomodo tandem id diu corpus conſeruabitur & extabit, in quo pedes quieſcere, caput ambulare uult? in quo cum uẽter cibi appetentia diſtorqueatur, manus ei nullum cibum ſubminiſtrent? Et quemadmodum id corpus ſine grauibus & ærumnoſis morbis, & infeſtiſsimis doloribus diu futurũ non eſt, in quod pro cuiusq; artus libidine & appetitu calida & frigida, dulcia & amara, auſtera & decocta acerbatim ingeruntur: ita hæc ueſtra ſodalitas & congregatio ægerrime continebitur, multisq; lacerabitur malorum ſtimulis, opinionumq; nouarum angoribus opprimetur.

metur. Quid enim ſancit Melancthon, quod Zuinglius non inuertat? Quid hic affert, quod non tanquàm ſuperuacuum grauetur Oecolampadius? Et cum ſuam quiſque tueatur falſam & impiam religionem, ab aliorum placitis abhorrent omnes, neque niſi ſuis acquieſcunt. Itaque antequàm intemperatiſsimis epulis, & perpotationibus diſtentos, uos ipſos Eccleſiam eſſe temere denuntietis, inſtituite quis ueſtrum pedes, quis manus, quis denique caput ſit futurus, tum de toto corpore deliberate. Sed, ò deplorandam tẽporum conditionẽ, quas hæc apud uos ratio tragœdias non excitauit? quas pugnas & ſtrages non edidit, cum pacem & quietem totius Germaniæ, ipſamq; prouinciam florentiſſimam afflixiſtis?

Quare ſi huic ueſtro furori ſubuenire cupitis, recurrendum uobis neceſſario eſt ad Romanam Eccleſiam, quæ Chriſti ſponſa cum uere ſit unica, non poteſt non eſſe ei gratiſſima; reliquæ uero omnes, quæ in eius locum ſubrogari per uos cupiunt, adulterinæ. Itaque hæc ſola ualet nobis obſcura interpretando, amputando ſuperfluentia, addendo quæ deficiant in ſanctorum ſcriptis, caſtiſsimos Chriſti ſenſus uiua uoce, & uoluntatem aperire, cuius quippe Eccleſiæ uicaria fides & tutela primum (ut ſuperius dixi) Petro, poſt eius poſteris Pontificibus maximis a domino & Deo Chriſto commiſſa & delegata eſt. Sed quando hæc ſpinoſa percurrimus, ad alia paulo uobis odioſiora pergamus. Vrget enim uos, multisq; pungit aculeis ſacramentalis confeſſio ea, quam nos Dei iure ſancitã dicimus, uos pernegãtis: neque alia id de cauſa facitis, quàm quod moleſtum uobis ſit alteri fœda ueſtra flagitia & maleficia reſerare. Qua quidem in re nequeo ſatis ueſtram demirari ſtultitiã, qui cum ea quæ turpiter ac ſcelerate facitis, ita reſeretis ut pateãt omnibus, ita tamen claudenda dicitis, ut ſacerdoti non aperiantur. Enimuero mihi, & omnibus iis qui ſacra ſpiritus aqua proluti Chriſtiani uere dicimur & ſumus, ſatis ſuperq; eſt Romanæ Eccleſiæ teſtimonio confeſsionem hanc diuino iure ſancitam eſſe cõfirmari. Nam ſi nihil amplius diſcipulo quàm magiſtri authoritas in primis cuiuſuis artis elementis perdiſcendis deſiderandum eſt, quis doctor, quiſue magiſter ita eruditus & ſapiens reperiri uſquàm poteſt, qui ſit cum ſapientiſsima Romana Eccleſia aut uidẽdi acumine, aut diſputandi ſubtilitate, aut iudicandi ſolertia, aut docendi, erudiendi, corrigendi induſtria, aut in omni re ſingulari doctrina, & ſapientia conferendus? Ageſis, huc mihi ſiſte Platonem, aut ſi mauis, eius diſcipulum Ariſtotelem, qui de natura rerum ſubtiliſsime diſſeruit, quæram ab eo, cur cæleſtes intelligen-

tias non conſtare ex illa cæterarum rerum materia dixerit? cur multa alia obſcure, & ambigue tradiderit, rationem fortaſſe eorum nō ineptam & uериſimilem afferat: ſed ſi negare uelim, non habebit quo pergat. Quære quiduis ab Eccleſia, quot, quæſo, rationibus, quàm optimis, quàm ueris, quàm candidis id, de quo ambigebas, elucidabit? quarum illa præſtantiſsima, Ita uiſum ſpiritui ſancto & nobis, eſt. Nunc igitur tibi, Luthere, de confeſsione dubitanti, eam ipſam idem puta reſpondere. Quid quæris? quid æſtuas? quid te uerſas in utramque partem conſcientiæ ui, & ſcelerum furiis exagitatus? Dubitas confeſſione criminum homini eſſe opus ad ſalutem? dubitas eam iure diuino ſtabilitam fuiſſe? Ecce tibi concilium Tridentinum (cum concilium dico, dico Eccleſiam) affirmat utrumque. Non eſt amplius tergiuerſandi locus: aut deficias oportet ad Mahumetum, aut Romanam Chriſti Eccleſiam complectare: nihil eſt tertium. Si primum te non nolle dicis, reputabimus impium: ſi ſecundum, uere Chriſtianum. Et cum alterutrum tibi eligendum ſit, eris fortaſſe uſque adeo amentia, & furore obcæcatus, ut ne quod petimus, conceſſiſſe uideare, perire malis? Multa afferunt doctores contra te, ac contra articulum undecimum confeſſionis uæſtræ Auguſtanæ, quibus liquido confirmatur, & aperte oſtenditur, mandato Dei confeſſionem omnium lætalium peccatorum, quoad per fragilitatem hominum memoriæ liceat, decretam fuiſſe. Lege Ioannem Gandauum ex ſodalitate diui Dominici, lege Caſtrum Hiſpanum ex Diui Franciſci. At, bone Deus, quos uiros, quàm uita integros, eruditione præſtantes? lege Ecchium, lege Coclæum, qui non ſcriptis modo ſuis, ſed uiua etiam uoce præſentes denſius uenenatos in rempublicam gladios, & diſtrictum ſtyli tui mucronem retuderunt. Ego uero nolo te & diuinæ ſcripturæ, & Pontificum maximorum, & grauiſſimorum doctorum ſententiis ſatis obrutum, alicuius nunc authoritate oppugnare. Scio te adeo eſſe uerſutum, ut poſſis diuinos authores euoluere, utinam tam candidus ſis ac ſimplex, ut nolis corrūpere. Tantum dico, ut non eſſet hæc criminum diuina confeſſio nobis a Chriſto impoſita, ut uere eſt, neque ab Eccleſia commendata iterum & iniuncta, ut eſt, tamen eam eſſe criminoſis hominibus maxime commodam & ſalutarem. Nam quemadmodum crudum corpus, cum uino & crapula uiolentiſſime diſtenditur, & ardenti febre miſere & dolenter torquetur, cæteris non iuuātibus medicamentis, nulla uitæ ſpes, nullum remedium proponitur, niſi uomitione leuetur: ita cum animus peccatorum onere ingraueſcit,

ueſcit & laborat, quonam alio magis præſentaneo remedio quàm ſalutari confeſsione, tanquàm uomitione eſt curandus? quod ubi quis recte ſe feciſſe ſentit, animi conſcientia purgati iucundiſsima fruitur, & incredibili gaudio cumulatur. At uero tibi, ac tui ſimilibus intemperatiſsimæ perpotationes, effrænatæq; libidines ad exitium non plus doloris relinquunt, quàm ab initio attulerũt uoluptatis. Hoc propriũ eſt ac peculiare uitioſitatis malum, quòd multo plus ſemper apportet ſolicitudinis & angoris, quàm non dico in principio afferat, ſed uel polliceatur uoluptatis: contra uero, recta & honeſta quæ ſint, uel aliquid habeant ſolicitudinis, aut etiam laboris in agendo, ad extremum tamen miras quaſdam ingenerant in hominum animis, & diuturnas quidem ſpecies alacritatis. Tum etiam conſiderare uelim uos, quòd ſi hæc criminum confeſsio, Chriſti præcepto ſubnixa non eſſet, neque eius primũ uelut manu ſata eſſet, nunquàm profecto ita altas egiſſet radices in Eccleſia, ut non iam multorum & robuſtiſsimorum, & ualentium hoſtium ui & uiribus eſſet euulſa. Quotus enim quiſque eſt, qui niſi Chriſti timore & amore moueatur, nõ in aperiendis ſacerdoti ſuis criminibus magna moleſtia afficiatur? Quis ſibi hanc dari ueniam, ſibi indulgens non optet ut ea ſcelera, quæ ſolus uidit Deus, cum admiſſa ſunt, ſoli Deo confitenda reſeruet? Sed neque id feciſſe diuum Petrum ſcimus, neque Paulum Apoſtolum Tarſenſem, neque Hieronymum, aut Auguſtinum, aut recentiores Dominicum, & Franciſcum, neque porro alios innumerabiles noſtra & priſcorũ patrum memoria uiros optimos, & probatiſsimos. Sed quid hic agimus? Non modo hi, qui libentius omnes mortem oppeterent, quàm hærere in ſe maculam exitialis culpæ paterentur, in eum ſacramentalis confeſsionis complectendæ ſententiam iuerunt, ſed uel illi quoque qui uirtutis ſtudio aliquo & amore tenebantur: neque hi ſolum, ſed (chriſtiani modo ſint) etiam fures, homicidæ, ſicarii, petulantes, uinolenti, lænones, mulieroſi, teſtamentorum ſubiectores, parricidæ, proditores, denique omnes omni ſcelere imbuti, turpitudine affecti, immaniſsimis moribus cõtaminati. Itaque a Chriſti obitu in hodiernum diem ſoli uos ſecundum Armenios, hoc exitiale dogma excogitauiſtis, & per totum terrarum orbem diſſeminare tentaſtis. Igitur, ſi authoritas Eccleſiæ apud uos, ut ualere debet, ualet, concilii profecto Tridentini ſententia & decretum confeſsionẽ diuino iure ſancitam eſſe declarat. Si rei quoque utilitas uos mouet, uidetis nullum remedium ad curandos ægros, ac prope de-

poſitos mortalium animos eſſe confeſsione præſtantius. Si conſue
tudo, nullam eſſe apud Chriſtianos adeo tritam & inueteratam:
ſi eccleſiarum conſenſio & approbatio, cernitis neminem eſſe aut
ita ſanctum, qui non confeſsionis indigere ſe poſt peccatum cre-
dat, aut ita profligatum & perditum, qui eam contempſerit. Qua-
re, quid uobis ſequendum ſit, conſiderate. Sed enim admirandũ
non eſt, qui recte facta, & honeſtatis officia tanquàm ad ſalutem
non neceſſaria repudiatis fidem tantum amplexantes, ſi confeſ-
ſionem quoque ueſtra babylonica ex ciuitate exterminandam pu
tetis, cum illa confeſsio expultrix quædam ſit uitiorum, & conſe-
ctaria uirtutis. Sed uos præclara uirtutis opera non neceſſaria
cenſetis, atque id quidem facitis adducti, ut dicitis, diuinis ſcri
ptis. Equidem ſcio eſſe nonnulla, quibus ad animi ueſtri libidi-
Pau. ad nem abutamini, cuiuſmodi illa ſunt, *Arbitramur hominẽ iuſtificari ex fi*
Ro. 3. *de ſine operibus legis.* Et qđ Chriſtus ait: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum*
Ioã. 6. *quem miſit ille.* Tum etiam ſanctiſsimorum patrum, & diuorum ſen
tentiæ quædam apparent, ſed perperam a uobis intellectæ, quale
Sup epi illud Ambroſii explicans Pauli uerba. *Quia ſine operibus legis credenti re*
ſtola ad *putatur fides eius ad iuſtitiam*, Et illud Hilarii. *Mouet ſcribas remiſſum ab ho*
Ro. ca. *mine peccatum, hominem tantum in Domino noſtro Ieſu Chriſto contuebantur, &*
4. Super *remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat. fides enim ſola iuſtificat.* Et item
Mat c. illud Saluatoris Chriſti. *Fides tua te ſaluam fecit.* Sed & tu audi mo-
8. Mat. c do: ipſa enim quoque ueritas ait. *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.* Et il-
9. lud Tobiæ. *Eleemoſyna ab omni peccato & a morte liberat.* Et illud Apoſto
Ioã. epi ſto. 3. li: *Si habuero fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, ni*
Tob. 4. *hil ſum.* Et illud Diui Ioannis. *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.* Et illud
Mat. 19. quoque Saluatoris Chriſti, cui dare manus neceſſe eſt. *Si uis ad ui-*
tam ingredi, ſerua mandata. Quam ob rem cum ipſa ſibi ueritas repu-
gnare non poſsit, multisq; locis, ut uidetis, ſine fructuoſo la-
bore & recte factis neminem ſaluum fieri aſſerat, cauſa non eſt,
quare uos eas uitæ actiones, quæ honeſtæ ſint & fructuoſæ, tan-
quam infrugiferas repudietis. Neque tamen ille numerus ſenten-
tiarum a uobis perperam intellectarum, quæ a uobis ſtare dicitis,
quærendus eſt, ſed ſenſus & uoluntas eius, a quo illæ ſententiæ
natæ ſunt, explicanda quod ni paucisſimis uerbis effecero, cau-
ſam haud dico, quare in poſterum me ſæpius uos eadem de re in-
terpellantem audiatis. Ac primum omnium intelligendum eſt,
poſtea quàm primi generis hominum parentes ſummum creato-
rem ſcelere irritauerunt, eo uno lapſu & illos, & omnes qui ſunt
procreati ex his, in peccatum & labem corruiſſe: atque hinc omnes
illa

illa macula inquinati naſcimur, quæ ſine cuiuſquàm merito antecedente uno ſacramento baptiſmatis eluitur. Quòd ſi quis adulta iam ætate impius in gratiam cum Deo Chriſto reducatur, id nullis promeritis euenire ſuis credendum eſt cum Paulo Apoſtolo, ſed ſumma Dei in eum beneficentia, & recondita benignitate: quod tamen ipſum admirabile puritatis donum non reluctantibus nobis & inuitis, ſed uolentibus, & (quantum in nobis ſit) elaborantibus ſummus Pater elargitur. Quid autem is, qui gratiã Dei quærit, uel potius non repellit oblatam, ſit præſtaturus, ſuperiores Chriſti, & ſanctiſſimorum uirorum ſententiæ declarant. In primis uera fide opus eſt huic, qui ex pagano religioni Chriſti addicitur, ſine qua, ut ipſe ait, ne fieri quidem poteſt, ut quiſquàm Deo placeat: tum etiam peccati deteſtatio, & fuga, quod Diuus Petrus admonet. Pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque ueſtrũ in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum. Quid autem ſi abſit in Deum pietas, & charitas in homines? audite diuum Ioannem. *Qui non diligit, manet in morte*. Quid autem ſi firma ſpes ueniæ atque gloriæ aſſequendæ? Qualis manſerit exitus Caim, & Iudam, utrumque de cæleſti miſericordia Dei deſperantem, nemo neſcit. Recte facta uero, quæ a labe purgatis fiunt, multum gratiæ nobis conferunt, ut in dies meliores efficiamur: atque ea de cã diu' Ioãnes cohortabatur nos his uerbis ad officia iuſtitiæ, & charitatis. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Quare in eam curã incumbendum, ſi ſapimus, nobis eſt, ut cum Deo uel gratioſi ualdeſimus; fructuoſis actionibus, ac omni erga ciues officio, erga Deum pietate gratioſiſſimi efficiamur. Porro autem cum humana ipſa opera aut ante conciliationem gratiæ, aut poſt fiant, aut ipſam eam conſociationẽ hominis cum Deo comitentur, prima parui momenti & inualida ſunt, quia ab hoſte fiunt: altera quæ concurrunt, ita neceſſaria ſunt, ut abſque eis nemo ſit unquàm a peccato expeditus: alia quæ conſequuntur ipſam reconciliationem, nouum acquirunt gratiæ gradum & beneuolentiæ. Itaque his quoque nobis opus eſt, ſi facere & operari poſſimus: ſin minus, dempta operãdi facultate, animo ea debemus & uoluntate complecti. Neque enim defecit illi poſito in cruce latroni ardentior charitas, cum Chriſti innocentiam aduerſus alterum prædonem tutaretur: neque fides, cum Chriſtum Dominum confeſſus eſt: neque porro magna ſpes, cum mente & animo ad genua proſtratus, quãdo id corpore præſtare non poterat, ut qui eſſet ad palum religatus, illam ſalutarem uocem emiſit. Domine, memento mei. Itaque etſi

Heb. 11

Act. 2

ucrum

uerũ ſit, mõ ſane & catholice intellectũ, quòd nullo noſtro præue niẽte merito, ſed gratuitu hões ſibi prima iuſtificatione conciliat Deus: & illud quoque uerum eſt, non omnes ſibi eum conciliare, ſed eos dumtaxat, in quibus fidei, ſpei, & charitatis ſplendor ali quis elucet. Neque tamen ſi quis ualde contendat, ex fide iuſtitiam uelut ex fonte manare, inficias ibo, modò non ex ſola fide: nam ita cenſemus. Sed quis, quæſo, ſanæ mentis homo eſt, qui cum ſe dicat a patre genitum, neget a matre ſe quoque, & a ſole generatum? ſi quidem uerum eſſe intelligat, quod dicitur, Sol & homo generant omnia. Itaque fidem uelut fundamentum & fontem cæterarum uirtutum eſſe non negamus: ſed ad ſalutem noſtrã ſufficere ſolam ab ſpe, & charitate derelictam non concedimus. Nã ut ſilẽtio prætermittamus, quod uerus ille Chriſtus legiſlator, Date, ait, eleemoſynam, & omnia munda ſunt uobis: ſatis quoq; ac ſuperq; ſupra confirmatum eſt & ſpe, & charitate una cum fide cõ glutinatis ad æternam ſalutem opus eſſe. Id ipſum igitur cum tot doctiſſimorum uirorum, ſanctiſſimorũq; ſententiis, ipſiusq; Chri ſti Dei optimi maximi authoritate comprobetur, eſt quiſquàm qui tergiuerſari, qui contra aut dicere, aut ſentire audeat? O incredibilem audaciam, o ſummam hominum impudentiam. Etenim cum ſemel homines uitiorum fræna diſſolute laxauerint, nõ dici poteſt quàm difficulter ab exultandi libidine ad uiam rectam, & rationem reuocentur. Sed ut ſancti, & eruditi pene innumerabiles uiri non eam ſententiam, non Eccleſia, non Chriſtus ipſe do ceret, at quid aliud Chriſti docebat uita? quid mores? quid exẽplum? quanta ille in ſuos ſemper arſit charitate? quàm ſemper in extollendis iacentibus, ſanandis languentibus, conſolandis dolentibus, docendis imperitis ab incunabulis, dicam, fuit occupatus? Profecto quemadmodum cæteri mortales ludicris rebus, & ne gotiis futilibus totum tempus ſolent impendere: ſic ille in ſtudio uirtutis, in honeſtiſſimis rebus, in docenda plebe, in cohortando bonos, & coercendis improbis, denique in rerum altiſſimarum cõtemplatione, & oratione ponebat. Quid dicam de parſimonia eius & ieiunio, cum quadraginta dierum & noctium interuallo ita ieiunus fuerit, ut ne panem quidem guſtaſſe intelligatur? Quid igitur, tale nobis cum ſit ad imitandum exemplar, præcepta requirimus? niſi forte minus recte exemplis, quàm præceptis ad uirtutem erudimur, quod negant ſapientes. Duodecim quoque Apoſtoli ueſtigiis magiſtri inſiſtentes, multique poſtea uiri uirtute excellentes, & in omni genere ſanctitatis probatiſſimi, ſi quod tem-

pus ſupererat a negotiis neceſſariis, id totum in contemplatione ponebant, inedia, & cruciatu corpora ſua affligebant: fide, ſpe, charitate corroborati, excitati, incenſi, inexplebili auiditate futuram uitam expectabant. Vos autem cum uino pleni, unguentis obliti, intempeſtiuis conuiuiis, commeſſationibus cum uulgaribus ſcortis, & exoletis operam continuo datis, cum rapiendi ſacras uirgines, depeculandi fana, Diuorum imagines abolendi, ueſtris ſatellitibus copiam facitis, nihil denique tam ſanctum & religioſum putatis, quod ueſtra religione iſta, nouæ ſanctitatis inuentrice, non uioletis. Quæ cum ita ſint, tamen cælorum regnum uobis, ac gregalibus ueſtris haud intercluſum iri aſſeueratis. Quo igitur diſcernis Chriſti Ieſu ſanctiſſimam & caſtiſſimam legem a tua, & Mahumeti turpiſsima ſecta? aut in quo tuam a Mahumetana diſtinguis, ſi tantum mihi licere dicis, quantum uelim, cum ſcias mortales omnes ad libidinem eſſe procliues? Sed quid agimus? Tolle Chriſti præceptum, qui multis locis nos aperte docuit ſine fide, ſpe, charitate neminem poſſe eſſe uſquequaque mundum, tolle eius uitæ actionem, & tanquàm expreſſum ac ſolidum uirtutis ueræ exemplum, tamen omni doctrina homines, & exemplo deſtitutos, dummodo communi ſenſu non careant, certũ eſt has tres uirtutes pulcherrimas & ſpecioſiſsimas amplexuros. Amat. n. quiſque a natura uirtutes, oditque contraria: & niſi blanda uoluptas titillaret ſenſus noſtros, aut iracundia nos ſæpe inflammaret ad uindictam, aut amor quæſtus incitaret ad rapinam, ſponte noſtra ubique uirtutes amplecteremur. Aſpernatio uero rationis impellit nos in eas animi perturbationes, ut quid ſæpe honeſtum ſit, aut quid turpe, diſcernere nequeamus: aut ſi id nos haud fugiat, tamen temere in expetitas uoluptates potius ruere, quàm rationis fræno uelimus coercere libidinem. Sed locus hic uitiorum & uirtutum late patet: nos ad propoſitum reuertamur. Nemo itaque eſt tam omnium rerum ignarus, ac plane infans, qui non intelligat, iniuria quempiam laceſsitum, ſi uir modo bonus ille ſit, officio beneficiari, ac precibus ualde leniri. Quod cum uere de mediocri quadam bonitate dicatur, quid de illa præſtanti & perfecta ex omni parte bonitate æſtimandum eſt Chriſti Ieſu, cuius eſt proprium ſi quam iniuriam acceperit, non malle ulciſci quàm obliuiſci? obliuiſci autem dico? remittere potius & condonare ipſi iniurioſo, ſi tamen in eo omnium harum trium uirtutum, de quibus ſupra diximus, lumen aliquod appareat. Nam ſi nolentes nos, & ei repugnantes, eius bonitatis putatis eſſe ad ſeſe inuitos trahere,

pere unum pro uniuerſis: ſed bono animo ut eſſent iuſſiſſe quo que: triduo enim ſeſe exangue ſuum corpus reuocaturum ad uitã, cum eis quadraginta dies futurum, poſtremo in Patris cæleſtes il las gloriæ ſedes euolaturum, ſemperque cum rite illi conceptis uer bis diuinam Hoſtiam immolarent, cum eis ſe adfuturum: Hoc unum petere, hoc eos rogare, ut mandata ſua fideliter exequan tur, ſuiq, memoriam retineant: quod illi ubi non ſine magno mẽ tis ſtupore audierunt, credibile eſt lacrymis effuſis reſpondiſſe, ſe ſe ei debitam gratiam, & fidem, & officium dum uiuerent, fideli ter præſtaturos. Tunc diuinus artifex poſteaquàm cœnati ſunt, panem aſſumpſit in manus, & enuntiatis admirandis quibuſdam uerbis eum conſecrauit, & in uerum ſuum corpus conuertit, uel (ut ſignificantius uerbo nouo, ſed apto, quod uolo dicam) tranſ ſubſtantiauit: deinde addidit, Hoc facite in meam cõmemoratio nem, ſcilicet qui paulo antea prædixerat in mortem ſe uoluntariẽ poſtridie eius diei libenter iturum, neque tamen illos eſſe deſer turum, documentum hoc illis dedit, quo modo facto diuinæ ho ſtiæ ſacrificio, Chriſto uero Deo & homine, ideſt, eodem ipſo ſe illi fruerentur. O felix collegium, in quo è duodecim, præter unũ Scariotem, tanti huius beneficii oblitus nemo fuit. Et non modo omnes pro domini & magiſtri honore tuendo multa uitæ diſcri mina & pericula ſubierunt, ſed uel ipſam uitam & ſanguinem li bentes atque alacres profuderunt. Quid igitur, ais, Oecolampadi (unum te pro omnibus ſodalibus appello) negas eam poteſtatem diſcipulis omnibus, ideſt, ſacerdotibus panem in corpus ſuũ trãſ ſubſtandiandi (cur enim non aptum & lene ſit uerbum, quo in tã to hoc myſterio Eccleſia utitur?) Chriſtum dediſſe? At ſanctiſſimo rum quatuor Euangeliſtarum adſunt teſtimonia. Recita teſtimõ nia. Negas Chriſtum dare potuiſſe? non te arbitror eſſe ita demẽ tem. Quid igitur eſt in quo hæres, de quo ambigis, de quo dubi tas, de quo nuncà me doceri uis? Primum ais, quãuis Chriſtus id fecerit admirandum uſque opus ac plane diuinum, non eandẽ diſcipulis permiſiſſe poteſtatem, ſed ut ſimile aliquid facientes, quaſi monimentum quoddam haberent ad eius apud ſe mortis memoriam excitandam. Deinde, ut idipſum quod ille fecerit, di ſcipulis faciendi poteſtatem dederit, eandem tamen iis uita defun ctis, cæteris nullis dediſſe. Primum igitur quid ſibi Chriſti uerba uelint, attende: nihil, opinor, amplius opus erit diſputatione. *Hoc*, enim ait, *facite*. ergo non ſimile, in quo erat ue ſtra plane in terpretatio indigna prorſus reſponſione, qui dicitis, *Hoc*, eſſe idem

E quod

quod ſimile: quaſi uero obſoletum aliquod, aut obſcurum & inſolitum uerbum interpretaremini. Hoc non aliud, non ſimile (docebo ego enim uos imperitus magnos rhetores) ſed idem non uerbo, ſed reuera id ipſum dicitur: quod cum is facere iuſſit, qui poterat faciendi dare poteſtatem, certe poteſtatem dedit, qui, quoniam poterat, iubebat. Sed uos hic uerbum illud Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, non proprie, ſed per figuram dictum putatis. Scio multa in diuinis ſcriptis tranſlata, aut immutata iucundiſſimam efficere orationem, atque eo ſæpe genere ſacros ſcriptores uſos eſſe, quã allegoriam græci appellant: ſed eam in uno uerbo eſſe figuram, ſi rhetores conſuluiſtis, haud quaquàm poſſe magni uos rhetores intellexiſtis. Tunc enim ea fit, cum multæ & perpetuæ fluxere metaphoræ: ſed, quando id non poteſt, de tranſlatione uideamus: Nam hic, quæſo, huius uerbi, *Eſt*, in cuius alterius domicilium eſt facta tranſitio, niſi in uerbo ſignificat? Quis igitur unquàm, qui in ſermone Romano ſit nõ dico diu uerſatus & ualde peritus, ſed non omnino hoſpes ac peregrinus ſomniauit, cum hominem te eſſe dicas, intelligi non eſſe, ſed ſignificare hominem? multo profecto appoſitius ſi diceres lapidem, aut truncum, ac eo certe modo cum uos hæreticos eſſe ait Eccleſia, intelligamus non eſſe, ſed hæreticos ſignificari, & tamen eſſe ſanctos, & eruditos. Quòd ſi ſic ſcriptorum inuertere ſenſum omnem cuiuis licet, neque cum Deus fabricator eſſe cælorum dicitur, credendum uobis eſt, neque ſordes noſtras eius ſanguine elutas: quod & uerum eſt, & ſæpe numero ſacra ſcriptura docet. Quare reuocatis uos ueterem illam Academiam, iam diu ueræ lucis Chriſtianæ uinculis religatã & conſtrictam, quæ nihil certo conſtituit, omnia in diſputationẽ cõiecit, uolatilem profecto & ueritatis perturbatricem: ſed quæ ualuit ſubtilitate diſputandi Athenis, & dominata eſt in philoſophorum gymnaſiis, & in Ethnicorum conuenticulis, cedat nunc chriſtianæ fidei, cedat ſanctorum patrum & Conciliorum ſcriptis & decretis, cedat ueritati. Alterum eſt, non aliis a diſcipulis conſecrandi panis facultatem eſſe datam a Deo: quod ut facilius refutetur, de Chriſti nece pauca dicere non ſane alienum arbitror. Remota poſt cœnam menſa, ut nullum non humanitatis & beneuolentiæ ſummæ in ſuos Chriſtus ederet exemplum, cingit corpus lintheo, & apprehendit peluim aquâ plenam, & pedes diſcipulorum magiſter, ſeruorum dominus cœpit abluere, quibus & ablutis & abſterſis admirabili quadam & fœcundiſſima oratione eos eſt ad humanitatem, manſuetudinem, clementiam, ad humi-

litatem animi, ad mutuum charitatis ardorem, ad omne genus uirtutis adhortatus. Deinde in hortulum orandi patrem cauſa, ut ei erat mos, cum diſcipulis ſeceſſit, ubi cũ crudeliſſimæ necis expreſſa imago ſibi ante oculos obuerſaretur, angore & cruciatu conficiebatur: atque hic humanum genus contemplans iuſtiſſima Patris ſui ſententia morte condemnatum, ſanguineo quodam ſudore conſperſus eſt, & hic cæteros ut a morte liberaret, ſe caputq; ſuũ Deo immortali deuouit pro uniuerſis: actutum iudaica quædam manus ex Scribis & Phariſeis (ſic enim eos uocabant, qui rebus ſacris, & cæremoniis præerant) & ex conductis, ut opinari licet, operis collecta, cum Iuda proditore aduenit: exclamat, incitatur, inuadit inermem atque ab amicis deſertum. Aufugerant enim omnes infirmiter animati, non ſecus atque oues faciunt adueniente lupo, ablatoque paſtore: & non recuſantem, neque defendentẽ, ſed ultro ſe ſe offerentem ad necem alii gladiis adoriuntur, alii uerborum contumeliis afficiunt, alii fragmentis ſeptorum, & fuſtibus. Tunc uinclis ligatum omni diritate ipſi teterrimi, omni uitiorum genere contaminatiſſimi, hominem innocentiſſimum per duellionis accuſauerunt. Criminabantur enim eum religioſiſſimum urbis templum dixiſſe ſeſe euerſurum eſſe, & poſt triduum iterum ædificaturum, quaſi quid de regno appetendo, & tyrannide cogitaſſet: quo quidem uere minus nihil dici, aut fingi ſane potuit. Erat enim ipſe auita maiorũ hæreditate eius ciuitatis rex, & regni dominus, patria uero Dei poteſtate cælorum & mundi regnum ſuo iure obtinebat, & imperium. Sed tamen iniquiſſimus ille iudex Pontius Pilatus nullis pro innocentiſſimo productis teſtibus, nulla aduocatione, nulla defenſione adhibita, indicta cauſa, accuſatoribus & inimicis eum tradidit, ut uinculis, uerberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necarent. Audite rem omnibus ſatis perſpectam, ſed numquàm ſatis deploratam, ac plane indigniſſimam: Ducitur ad ſupplicium ipſemet ſibi apportans crucem tunc certe dirãm, quæ uitæ Domino erat uitam ereptura: nunc felicem & beatam, quæ eius ſanguine tincta, de infernorũ regno glorioſe triumphauit. Arbori ſuſpenditur, pedes ac manus ferreis clauis ibidem figuntur, non ſolum atrocibus cum tormentis, ſed acerbiſſimis etiam uerborum contumeliis ſacrilego ore lacerabant: & cum iam magnis ſpiritus anguſtiis, & corporis dolore oppreſſum, plurimis uulneribus pene exanguem & confectum uiderent, non tamen propterea eum illudere, & lacerare deſtiterunt. Sed clemens ille Ieſus, tanta in ſe hominum ſæuitia & acer-

bitate prouocatus, nihilominus tamen dedit ſe ad priſtinam lenitatem, & inſitam clementiam: ad extremum uero pene ſpiritum, patrem pro ſuiipſius perſecutoribus obteſtans inclamauit, Pater, ignoſce illis, neſciunt quid faciunt. Et cum nulla unquàm tanta immanitas reperta ſit, quæ ultra mortem progrediatur, illi tamen ſuam inſatiabilem crudelitatem exercuerunt non ſolum in uiuo, ſed etiam & in mortuo. Nam corpus exanimum & languẽs lancea perforauerunt, & ex latere ſanguis & aqua fluxit euiſcerato: ac uix dum tot uerberibus, uulneribus, tormentis eorum uiſa eſt ſæuitia ſatiari. Sed, ò manſuetudinem inauditam, incredibileq; clementiam. Illi eum crudeliſſime excarnificabant, eos ille Patri uehementiſſime commendabat: illi mortiferas ei plagas afferebãt, ille ſempiternam eis uitam, ſi crederent & uere pæniterent, tribuebat: denique crudeliſſimos carnifices amplexabatur, pro iis Patrẽ rogabat, noſq; omnes ſui ſanguinis effuſione a perpetua dæmonis ſeruitute in ueram libertatem aſſerebat. Et nequis ueſtrum forte miretur, quid hæc mea oratio tam alte, ac tam longe repetita uelit, aut quid ad Hoſtiæ ſacramentũ mors Chriſti pertinere uideatur, non diu uos morabor. Neque tam uos imperitos rerum diuinarum eſſe cenſeo, qui hunc putetis in crucem actum pro uniuerſo genere hominum, Ieſum, iis moriendo uitam dediſſe ſolum qui aderant, non item cæteris: illis enim profecto uitam dedit, ſed abſentibus quoque & omni etiam poſteritati. Etenim, Ignoſce, dicendo, non his ſolum, ſed etiam illis non præſentibus tantum, ſed etiam nobis ipſis, & omnibus ignoſci uelle ſignificauit. Igitur qui nobis tot delicta cõdonauit, qui mortem ipſam a iugulis noſtris, & uiſceribus paſſionis ſuæ merito auertit, qui uitam reſtituit, alimenta negauit? qui diſcipulos (hoc enim nobis non admodum inuiti datis) non ementita poetarum ambroſia, ſed corporis ſui diuino pabulo enutrierit, nos fame enectos ſine eo ſui corporis alimento reliquit? Sed illi, ais, fideliter Domino ſeruierunt. fideliter, ſi non abiuraſſet Petrus, non dubitaſſet Thomas, non omnes in fide uacillaſſent. Et qui perfido proditori Iudæ, ſi quando reſipiſceret, ſi ipſe ſibi non manus afferret, mortemq; conciſceret de diuina benignitate deſperans, eandem quam Petro, ſuo ipſius Vicario conſecrandæ Hoſtiæ facultatem dederat, nobis, qui ſpem omnem noſtram in eo ſitam uno & repoſitam habemus, eam facultatem non daret? Et qui iis ipſis, qui cum uidiſſent eum diuinitatis opera edentem plurima, tamen metu mortis terga dederunt, hoc conſecrandi munus conceſſit, nobis, quibus de facie minime fuit no-

tus, & tamen ei cum magna fiducia fidem adhibemus, eique nos totos & noſtra committimus, idem munus denegaret? præſertim cum ad Thomam dicat ipſe ambigentem, & in fide nutantem. Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Beatus igitur quiſquàm ſine diuino iſto pane & potu cæleſti eſſe, aut dici poteſt? Etenim cum quiuis diues ac prudens paterfamilias, qui rectè diſponat familiã ſuam, ſi quando peregre domo proficiſcitur, non modo quid eo die ſit neceſſarium ſuis, ſed in poſterum etiam longius proſpiciẽs futura prouidet, ac diſpenſat: Chriſtus Deus, qui tam ſapiebat quàm erat potens, & tam erat potens ut nihil quod fieri poſſet, nõ poſſet, ipſe cum proficiſceretur ad Patrem, ſuosq; admirabili cibo in abitu, & profectione refecerit, longioris temporis alimenta denegauit? Et cum bonus nemo parens, cum primum genitum uictu reficiat, cæteros quoque liberos infantes patitur fame perire; cæleſtis ille optimus & ſapientiſſimus pater ex adoleſcente Eccleſia liberos ſuſceptos cum enutrierit, ex eadem iam adulta editos fame necaret? neque id profectò ueriſimile eſſet, quàmuis non affirmaret Eccleſia: affirmante uero illa, aliter ſentire, mendacium.

Atque hoc cum ita ſit, te uero non pudebit contra doctiſſimorum uirorum ſententias & ſanctiſsimorum ſtare? Pone tibi, quæſo Oecolampadi, ante oculos SS. Auguſtinum, Hieronymum, Baſilium, Dominicum, Franciſcum qui omnes in Hoſtia uiuum Chriſti corpus adeſſe conſtantiſſime tenuerunt. Non audebis profectò, niſi impudentiſsimus ſis, eorum dictis refragari. An uero tu mihi tam impudens hic eſſe non erubeſcis, ut hos ipſos audeas Diuos impietatis accuſare, & Diuum Franciſcum quaſi idiotam, & cultorem idolorum, fraudis inſimulare, quòd in Hoſtiæ figura non panem, ſed uerũ Chriſti corpus uenerabatur? Franciſcus impius, ergo tu ſanctus? ille impurus, tu innocens? ille ſuperſtitioſus, tu religioſus ac pius? Videamus igitur, quid hic, quem tu idolorum cultorem uocas, ego Chriſti amicum eſſe aio, fecerit, quàm beate uixerit, tunc facile quàm ille uir ſanctiſsimus fuerit, quàm tu inſignis nugator ſis, facile intelligetur. Primum, Franciſcus uita fuit ſimplici, nemini impoſuit, nemini male dixit, neminem traduxit, non ementitus eſt genus ſuum, non ordinem, non ſocios fraudauit, non fana compilauit: omnibus bene uoluit, bene fecit, multos exemplo & uita ad honeſtatem ardentius inflammauit, multos oratione & conſiliis a morte ad uitam, ideſt, a flagitioſa uita ad officia uirtutis reuocauit, nihil ſibi duxit antiquius animi manſuetudine, nihil amabilius uirtute, nihil ſanctius ueritate: deinde conti-

nentia uitæ & abſtinentia tanta fuit, ut cum uix uirilem ætatem at-
tigiſſet, & corporis langore, & colore ipſo oris atque macie de-
crepitus iam ſenex eſſe uideretur. In contemplatione autem rerũ
diuinarum, in primisq; huius, de quo agimus, admirabilis ſacra-
menti tam aſsiduus ſemper ac multus fuit, ut fere ſibi nullã par-
tem neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impartierit: atque is
quidem ſacerdotibus ſua crimina frequens aperuit, non cælauit,
templa multa extruxit, atque ea pictis ſanctorum ſacris imagini-
bus ornauit, non expoliauit. Pontifici maximo, Eccleſiæ, Epiſco
pisq; obtemperauit, nunquàm refragatus eſt, diuinæ Hoſtiæ obla
tioni cum maxima animi ſui deuotione denſiſsime interfuit, in
eaque Chriſtum adeſſe ipſum nunquàm negauit, ſed conſtantiſsi
me tenuit: fide ſemper nitebatur, charitate ardebat, excitabatur
ſpe ad non de hac exigua, ſed de illa perpetua uita cogitandum.
Idolorum hic cultor Oecolampadi? cur igitur hic cæcis ſæpe lucẽ
oculorum negatam dedit, ademptam reſtituit? cur ægros miſere
decũbentes ſanauit? cur præpeditas linguas & inhærentes ſoluit?
cur a dæmonibus arreptos expediuit? cur uenena ſaluberrime tem
perauit? cur denique multos ab inferis excitauit? Mitto cætera,
uno exemplo, atque eo domeſtico contentus ero. Auguſtobriga
oppidum eſt ad Luſitaniam ſitum percelebre ſane, cuius ego ciuis
ſum: in hoc cum forte Franciſcus in Luſitaniam excurreret, ſacel-
lum quoddam (ſiue quod ei cæli ſalubritas, ſiue ſoli feracitas, ſi-
ue gentis candor & ſimplicitas, & religio placuerit) ædificandum
curauit, cuius rei gratia cum hic diu moraretur, ut aliquod apud
nos ſuum diuinitus opus extaret, demortuũ epiſcopum forte ſan-
ctum, certe eo nomine felicem atque beatum, a morte ad uitam
reuocauit. Quid admiraris? quid ſtupes impie? non hæc a me tem
poris gratia finguntur: ſæpe de patre meo uiro optimo & pruden-
tiſſimo Martino Cacere, ſæpe de auo audiui, illi a maioribus ſuis
accepere, quibus piaculum erat falſa comminiſci, & in aliena lau
de uideri mendaces. Quanquàm quid uerbis opus eſt? Extat in tẽ-
plo perantiquo & uetuſto diuæ Mariæ in hac ipſa urbe exaratum
literis monimentum, non ad exiguam temporis recordationem,
ſed ad memoriam facti ſempiternam. Quare accede iam rogo te,
Oecolampadi, obſecro & obteſtor, ad diuinæ ſcriptionis explica-
tiſſima & apertiſſima uerba, accede ad diuorum innumerabilium
grauiſſimas ſententias, ad urgentes rationes, ad religionis uerita-
tem, ad conſenſum Eccleſiæ. Sed panem ais ipſam Hoſtiam, non
Chriſtum, ab Apoſtolo Paulo appellatum: Quin tu moleſtus eſſe

iam deſinis? Panis dicitur, quod paulo ante panis re ipſa fuerit: atque eo modo in libro Exodi ſcriptum eſt, Aaronis uirgam uirgas Magorum deuoraſſe. Deinde etiam ſimilitudine, ut in pictura mare dicimus iratum eſſe, currentes damas, canentes cignos, cuiuſmodi illud eſt poetæ neſcio cuius.

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Piſces aſpicis, adde aquam, natabunt.

Nam etſi aliter uiuere ſancti uiri, aliter ſolutiores poetæ, nõ ideo aliter loqui conſueuere: neque alio Catilina ſermone proditor patriæ, alio Cicero eiuſdem dictus parens, loquebatur. Tum etiã quòd in Hoſtia, quæ paulo ante pani adiuncta erant, ut albedo, ut rotunditas maneant per ſe ipſa, neque minus quàm antea aſpectu & ſenſu comprehendantur, ut cum uinum fugerit, uini color permanſerit, pro aceto uinum ſæpenumero appellamus. Adde, quòd cæleſtem etiam panem, & uere diuinum recte nominamus, quippe qui non modo homines in terra, ſed uirtute quoque & aſpectu in cælo paſcat cælites. atque hinc illud eſt. *Ego ſum panis uiuus.* Quare in Hoſtia ſiue panem appelles, ſiue Chriſti corpus, ut idem Apoſtolus, ſiue quiduis aliud modo aptum, tamen Chriſtum adeſſe reuera ipſum intelligamus, eumdemq; nobis ſalutem conferre pænitentibus & ſumentibus digne. Quòd ſi cæteris in rebus ingenii tui uim, Oecolampadi, exercere, aut etiam oſtẽtare uis, Chriſti domini corpus a diuina Hoſtia non ſemoueris, neque laceratum & diſtractum, ſed triumphantem & glorioſum uelis. Nam quid eſt aliud Gigantum more cũ Deo bellare, ſi hoc non eſt? Te uero iam, redemptor noſter Chriſte, quem non unius tantum urbis, ſed omniũ liberatorem, & ſaluatorem uere nominamus & credimus, ut iis ſaniorem mentem reddas, manumq; clementiæ tuæ porrigas poſcimus & obteſtamur, ut hi ex turpitudinis iam ſuæ ſordibus emergentes aliquando reſipiſcant, & te Deũ uiuum in Hoſtia uere manentem confiteantur, ac pie ſancteq; colant & uenerentur, atque hoc profundiſsimo e pelago euecta iã quoquomodo oratione, ad liberum arbitrium tranſeamus, cuius ne umbram quidem nobis Lutherus reliquit, ſed omnia Dei uolũtati attribuit. Primum rapinæ, turpitudines, obſcœnitates, flagitia, maleficia, peccata a nobis tantum nata ſunt: uirtutum uero ſemina animis noſtris inſita, bonique appetitio, & mali fugiendi innata cupiditas a ſolo Deo. Actiones porro honeſtæ per hominem ſuſceptæ, & officia uirtutum & a nobis, & a Deo: a Deo, quia cũ ſit rerum omnium effector, quod ſine eo confieri bonum poſsit, nul

lum

tum eſt: a nobis, quia cum animi noſtri uis eo diſtinguatur a feris, quod bonum appetere, malum fugere poſſimus, ac moderari cupiditates, & compeſcere fræno rationis, fruſtra nobis eam diuinæ plane ſolertiæ uim datam arbitraremur, ſi aliquādo noſtra per nos ſponte non malum declinatum eſſet, & non aliquando bonum cō plecteremur. Sed omnia, inquit, Deus prænouit, neque aliter poſſunt cadere. Scio quō me uocas, ad eam ſcilicet quæſtionem de fato ab Stoicis ualde defenſam, a multis ſapientibus refutatam, ut expultricem bonarum artium, inuentricemq; malorum. Qua tamen in te tecū paulo non agam ſubtilius, ne diſputationis laqueis irretitum meis, te nunquàm exoluas, ſed craſſiore (ut dicunt) Minerua. Quid igitur ais? quod a Deo conſtitutum eſt & deſignatū ut eueniat, neceſſitate quadam euenturum? Nihil igitur mali, opinor, adhuc euenit unquàm, aut eueniet in poſterum, ſi id, ita ut dicis, eſt: neque optimum illum magiſtrum, nequam diſcipulus cum uendidit, ullo ſe ſcelere alligauit, ſi quidem aliter facere non potuit, cum ita eſſet conſtitutum & deſignatum a Deo. Neque porro illæ maximæ angelorum rebellium copiæ in inferorū ſedes, ut dicitur, & perpetuæ noctis ergaſtulum detruſæ iure ſunt, quando in ſummum ipſorum ac naturæ parētem & dominum coniurarunt. Nam ſi aliter minime poterat (ut dicis) euenire, illis profecto fraudi non fuit Dei inſtituto neceſſario & uoluntati, in eo quod rebellarunt, paruiſſe. Aut ſi aliter dicis, quid igitur crucior ob id, quod facere cum nolim, non facere non poſſum? Aut cur etiam præmium mihi dari poſtulem pro pietate non ſponte, ſed Dei coactu ſuſcepta? An non conſentaneum eſt rationi, peccatis ſupplicia, recte factis ſua præmia deberi? Vtrum igitur uana uitiis, & uirtutibus nomina imponimus, inutiliterque artes & doctrinam comminiſcimur? Igitur falleris ipſe tu, inſciteq; nugaris. Nā peccata pœna & ignominia iure multantur, recte facta laudis & gloriæ præmio ſempiterno decorantur. Sed peccandi conſuetudo mentis ueſtræ aciem obcæcat, uerique iudicium adulterat, ut ablato uobis pœnæ metu liberius quiduis audeatis. Magnū enim eſt ad peccandum incitamentum impunitatis ſpes. At ſi caliginem diſcutere uelimus radio illuminati, non difficile erit intelligere, cum nos in uitia libētes ac uoluntarios ipſi præcipitemus, alterum eius culpæ, quæ in nobis tota reſidet, participem eſſe neminem. Etenim ſi quis recte ualens, primum incidat in morbum, medicūque uocarit, qui ex uenarum eius motu, & oris aſpectu, obſtructioneq; lienis pronuntiet fore quartanam, cuius febris reuerſio &

motus quarto quoque die ſolent accidere, nec deficiat euentus, cum is in febrim inciderit a medico ſibi pronuntiatam, num, rogo te, ſcientia & prædictione medici dicet ſe compulſum, aut melancholia potius ipſa ſua, & pituita laborare? Non medico, opinor, ægritudinem ſi ſapiat, ſed ſibi ipſi intemperato & uoraci aſsignabit. Quid igitur, quòd Deus prænouerit te tua ſponte aliquid ex fano prædaturum, neque prædixerit, ideo te dicis eſſe prædatum? Nam ſi ante diceret, eius te, credo, uerbo & authoritate motum id ſcelus concepiſſe quoquo modo, quàmuis falſo, cauſarere. Nunc ſi tacuit, ſi tua te effrænata cupiditas in fraudem impulit, ſi aliquis lâtrocinij conſors induxit ad maleficium, ſi inuitauit egeſtas, quid tuum crimen cum Deo communicas? qui ipſe facturum id eſſe te tam ſciebat, quàm non impellebat, neque optabat. Aut quid cũ angelo, ſi Deo reſerante forte præuidit? quid mecum ſi id eſſet, ita fore Dei quoque benignitate mihi reſeratum? Quare ſi quis proprio animi motu, inſtigante dæmone, & deprauata impellente natura ruat in fraudem, ſibi ipſi aſsignare debet, & non alteri, Deo præſertim, cuius bonitas tanta eſt, ut in nullam poſsit prauitatis communionem uocari. At uero boni ſi quis quid egerit, id cum Deo omnium bonorum authori, tum etiam ipſi, qui eius impulſui & uoluntati non refragatus eſt, aſsignare debes. Neque tamen hic tu arbitrij libertatem perdidiſſe uelim putes, quòd Dei uoluntati paruiſti: nam in eo ſumma eſt uoluntatis noſtræ libertas & dominium, quòd uoluntati Dei uolũtas noſtra libenter obtemperauerit. Neque porro is arbitrii caret libertate, qui cum uelit illum Deus aliquid manſuete, aut pudice, aut honeſte facere, ipſe facere nolle poteſt, aut non nolle. Ergo & qui ſcelere ſe aliquo impure contaminauit, & per ſeſe ipſum egiſſe fateri oportet: & qui aliquid boni cum honeſtate ſuſceperit, non ſine præueniente Dei gratia & uoluntate. Sed nondum acquieſcis, & te, ſi Deus furaturum eſſe prænouiſſet, furatum fuiſſe dicis certe, ſed neceſſario adiicis, falſo: in eaſdem iterum ſalebras incidis. Nam ſi in dialecticorum, & philoſophorum libris diu uerſatus es, profecto intelligis inter ea quæ accidunt, & inter ea quæ neceſſaria eueniunt, magnum interiectum eſſe diſcrimen, ut inter cauſas quæ uoluntario antegrediuntur, & inter cauſas cohibentes in ſe efficientiam neceſſariam. Alterius generis eſt, Deum eſſe: alterius te. Quem admodum te eſſe factum, neceſſario id conſequitur, participem eſſe rationis, non is qui ratione utitur, ſed qui innata quædam habet, quibus bruta carent, ſemi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

na rationis,eius particeps dicitur. Non autem ita neceſſe eſt, ſed in cuiuſque manu poſitum, ut a mendacio ſtare uelit contra ueritatem, & ab impietate contra Eccleſiam. Itaque cum duæ fuerint ſententiæ Philoſophorum,altera quæ uim omnibus rebus neceſſitatis afferret, altera quæ hac fati neceſsitate homines liberaret, motusq; nobis animorum uoluntarios concederet, primam tanquàm omnes artes, omnia officia ab hominum uita & conſuetudine delentem, ſapiens poſteritas exploſit: ſecundam ratione ipſa obfirmatam, & certam complexa eſt. Poſt uerò Chriſti Dei ſentẽtia comprobatam, eandem ipſam Manichæus, uoſque ipſius Manichæi pabulo & glande nutriti,è chriſtiana religione expellitis. Etenim non quanquàm nolis, quia ita ſit in fato, ſed ſi uelis ait Chriſtus, ſeruabis mandata, uidelicet quia poſitum eſt in animi tui motu & uoluntate: cui diuinæ ſententiæ refragari eius nimirũ eſt, qui malit quàm Deo, uentri, ac profligatæ ſuæ libidini deſeruire. Neque enim quiſquàm aut tam perditus, aut amens eſt, qui non intelligat Socratis continentiam pulchriorem eſſe uita ſolutiore Epicuri, quique non in dictis conſtantiam laudet, uituperetq; perfidiam. Quis autem non laudibus extollat magnis Alexã drum Macedonũ regem naturæ quidẽ propenſione mulieroſum,& ebrioſum, & iracundum, ſi uitioſam illam naturam ita rationis fræno domuit, ut nemo eo continentior inter Macedonas,neque magis ſobrius, aut clemens fuiſſe uideretur? Quid autem Diuam Magdalenam, quam honoris cauſa nomino, nonne ſummæ ei ab omnibus laudi datur, libidinoſam in prima ætate naturam ſic ab ea edomitam, atque compreſſam fuiſſe diuina doctrina, ut nullum in ea uitioſitatis ueſtigium relictum fuiſſe uideretur? Quòd ſi in poteſtate noſtra,adiuuãte ſemper diuina grã & auxilio,minime eſſet abſtinere a uitiis,aut hoc ſpreto,illa ruſus amplexari,neq; porro in laude, aut uitio poni deberet,utrumuis facere:atque eo quidem modo laudabilius, aut melius utique non eſſet ueſtrã, quàm Mahumeti ſectam, uel Eccleſiæ Romanæ ſequi religionem. Itaque in dumeta corripitis uos ipſi, ſi hoc tueri dogma, quod deſciſcit a ſeipſo, uultis, unde non uos facile expedire poſſitis. Neque enim ueſtra hæc ſtare doctrina poteſt, quam ſolam ueram & ſalutarem falſo dicitis, quæ ſe ipſamet iugulet atque conficiat. Nam ſi in Turcarum ſectam quis abierit, nihilominus tamen, ut dicitis, in cæleſtes illas gloriæ ſedes recipietur, ſiquidem in nullum Chriſti odium, quamuis eum abiurarit,cum non uoluntarie, ſed coactus neceſſitate fecerit, incurret. Atque hinc multa alia abſurda conce-

dere

derē cogeremur, uidelicet tam gratos Deo eſſe, ut ſupra diximus, damnatos inferorum dæmonum ſpiritus, quàm ipſos cælites & beatos, tam beatam libidinoſam auari diuitis arrogantiam, & tumidum faſtum, quàm ſanctiſſimam Lazari mendicitatem. Tū etiā illa, quæ ne fieri quidem poſſunt, connecterentur, ueſtram ſectam eſſe ſolummodo ſalutarem (ſic enim cenſetis) & non eſſe ſalutarem ſolummodo, ſi quidem, ut dicitis, ſpoliati ſumus libero arbitrio: & nihilo magis peccat Turca ſuam ſequi hæreſim coactus, quàm uos ueſtram. Quare inconſtantem iſtam, & ſibi ipſi repugnātem doctrinam procul abiicite, & ueritatem chriſtianæ legis amplectamini, quæ uerā uoluntatis libertatem nobis dat, quæ quanti æſtimanda ſit, ipſi uidetis. Cætera uero dogmata ueſtra eiuſmodi ſunt, ut ne digna quidem refutatione uideantur. Nam ſi ex generis omnis fructibus decimas non reddendas eſſe ſacerdotibus dicitis, nulla id alia de cauſa profecto facitis, niſi ut illa uos rerum particula non priuetis. Si templa ornamentis expolianda, ſi ſacras Diuorum imagines æreas præſertim, aut inauratas & marmoreas eripiendas cenſetis, non quia non utiles in templis ad inflamandos Chriſtianorum animos in Dei cultum, ſed quia uobis domi quæſtuoſas fore putatis. Si uota monachorum non præſtanda, quia pudicitiæ durum onus, & ſolicitū eſſe, uitæ uero uoluptariæ ac mollis diſſolutam hilaritatē cum iucunditate experimini. Si denique non ieiunandum, non cibis abſtinendum iis, quibus nos ueſci per ſtatos aliquot anni dies uetat Eccleſia, quia ſine fœcūda Cerere, ebrioſoq; Baccho ſiccam, & prope funeſtam, ac omni iucūditate carentem uitam uobis agendam putaretis: poſtremo ſi purgandarum poſt hanc uitam animarum nullum locum eſſe uultis, quia ueſtrorum criminum ac turpitudinum maculas nullis tormētorum undis elui, nullis ſuppliciorum, aut pœnarum generibus expiari poſſe exiſtimatis, nobis autem hoc eſſe receptaculū, quàmuis durum, tamen ſaluberrimum, unde purgati ac mūdi tanquàm e tempeſtate euolemus in portum, non feretis? Sed quando Lutheri iam, ac diſcipulorum eius inuentis plenis mendacio, plenis perfidia, plenis libidine, ut patefactum eſt, pro uirili parte reſpondimus, eaq; apertiſsimis rationibus & argumentis refutauimus, ſequitur ut te, Regina nobiliſſima, uos Proceres potentiſſimi, commonefaciam & exhorter, ut iam tandem Reip. emolumēto, Chriſti honori, utilitati quoque ueſtræ & honori conſulatis. Neque uero patiamini ſic Romanam Chriſti Eccleſiam, ſummum Pontificem, Chriſti Vicarium, profligatiſsimo cuique ludibrio eſſe. Si uidetis

detis Martinum Lutherum,& eius aſſeclas, ut maiore licẽtia liber tateq; peccandi utantur, ſcelerum ſacramentalem confeſsionem de Eccleſia catholica conari explodere, honeſtas uitæ actiones exſibilare, ſanctiſsimum Domini corpus in Hoſtia non uenerari, ſed contumeliis (graue dictu) exagitare, qui ut liberius quiduis audeant, impunitate propoſita libertatem uoluntatis noſtræ nobis eripiunt, & in Diuos, & in Deum acerbe, & contumelioſe uinolenti debacchantur, quod ipſum a primordio mundi facinus nemo unquàm, præter hos, repertus eſt tam barbarus, aut ferus qui cogitare, nedum facere ſit auſus. Non enim Martinus Lutherus ſolum ſibi, ac ſuis peſtem attulit exitialem, ſed parentes etiam noſtros, liberos, coniuges, conſanguineos, neceſſarios petit: omnes inficere, omnes impius perdere conatur, maiores natu, pueros infantes, uiros, feminas: nulli aut dignitati, aut ætati, aut ordini parcit. Serpit iam labes longius, quàm ut, paulo ſi conniueatis, medicinam facere poſsitis. Erigite animos ueſtros ad hanc cauſam, neque ſit quicquàm uobis antiquius, quàm Eccleſiæ Chriſti libertatem, huius regni ueſtri florentiſsimum olim imperium in priſtinum quietis & tranquillitatis ſtatum uindicare.

AD PRINCIPES GERMANIAE, ANTONII CACERIS PATIECI IN LVTHERIANOS, ORATIO TERTIA.

SERIVS omnino, Illuſtriſſimi Principes, quàm oportebat eum facere, qui ueſtris commodis inſeruire, de uobiſq; bene mereri uellet, ad ſcribendum aliquando tamen excitati ſumus, quod equidē diu deſideraui; ſed partim ingeniolo noſtro diffidens, Partim magnitudine & ſplendore nobilitatis ueſtræ deterritus tantam rem aggredi, cum maxime cuperem, non audebam. Ac, ut me præteream, quem tametſi ex nobili illa & perantiqua Patiecorum familia ortum, multiſq; maiorum imaginibus clarum, tamen huius diſputationis inſolentia, atque harum rerum inſcitia, de quibus agendum nobis erat, ſcribere conantem ſæpe detinuit. Veſtra certe illa inclyta uirtus a multis uſque ſæculis multitudine rerum geſtarum nobilitata, & ſplendor ille regiæ nobilitatis illuſtris, ut uerum fatear, me diu ab ſcribēdo retardauit. Sed enim cum me ipſum aliquādo tandem recollegiſſem, ac cum animo meo reputaſſem, facile credebā ſi id, quod meus erga uos, & in omnes bonos ingenitus & ſingularis amor parturiebat, aliquando ſuſciperem cohortandi ſtudium, uos in eo mihi ueniam libenter daturos, uel gratiam potius maximam habituros. Non enim ut Pontifici maximo pareatis, ſi id non recte fieri debeat, ſuademus: ſed ut recte fieri putetis, & pareatis, non ut Romanæ Eccleſiæ puram religionem, ſi aliter eſſe creditis, ſuſcipiatis, ſed ut aliter non credatis & ſuſcipiatis, non ut Martini Lutheri, cæterorumq; legumlatorum, ſi bonos eos & reip. ſalutares ciues eſſe cēſebitis, furorem ac peſtem omni conatu ueſtro arceatis, ſed tum demum arceatis, ſi eos improbos, ſceleratos, flagitiis omnibus imbutos, omni dolo & fraude plenos eſſe reperietis. Quanquàm iā hic fortaſſe non neminem futurum puto qui dicat, non reprehen-

ſione carere, hominem me chriſtianis maioribus ortum, & Romanæ Eccleſiæ ſtudioſiſſimum & obtemperantem, ad eius nunc Eccleſiæ hoſtes ſcribere, aut quicquàm cum his habere commercii. Sed huic, ſi facti mei rationem reddidero, eo ipſo ſpero me paulo æquiore iudice uſurum, ac eundem ipſum hoc meum conſilium quaſi rectum & ſalutare probaturum. Equidem cum ab hinc aliquot annis de multis audirem, nobiliſſimos Germaniæ Principes neſcio cuius Martini Lutheri præſtigiis circumueniri (facile .n. eſt ſimplicem ac generoſam nobilitatem induci, quæ cum fallere neſciat, non agnoſcit inſidias) ualde dolebam, ac iam tunc magnopere optabam, quando ipſe puer tunc admodum eſſem, ac omnis expers diſciplinæ, Eraſmum uirum, qui tum temporis elegantia dicendi, & rerũ cognitione florebat, permultosq; alios, quos illa ætas tulerat, præſtantiſſimos in eam cauſam ita ſedulo incumbere, ut illius monſtri dolos ſcriptis ſuis aperirent, & capitali non reipublicæ ſolum, ſed humani generis hoſti, ad generoſiſſimam Germaniæ prouinciam euertendam aditum intercluderent. Optabam præterea & ipſe quoque bonis iam artibus informari hac facta cum cælitibus ſponſione, ut ſi quid labore meo & induſtria adiumenti ex bonis literis mihi comparaſſem, id totum ad eos ipſos nobiliſſimos Germaniæ Principes admonendos, & (niſi arrogans forte uerbum eſt) erudiendos amantiſſime, diligentiſſimeq; conferrem: quod cum diu elaboraſſem, & in bonarum literarum ſtudiis tantum operæ poſuiſſem, quantũ niſi admodũ tardo eſſem ingenio, non nihil proficere potuiſſem, nihil antiquius duxi, quàm quomodo poſſem uotum, quo tenebar, ut ſoluerem. Deinde cũ paulo attentius rem ipſam conſideraſſem, me uobiſcum generis humani quodam quaſi communi uinculo colligatum eſſe cernebam: deinde iis Principibus, quibus ex omni Chriſtiano populo tanquàm ſapiẽtioribus, & ſanctioribus ab Eccleſia Romana Imperatoris creandi eſſet olim data poteſtas, putaui cæteros oẽs inſeruire debere. Poſtremo cũm uos nonnullorum hominum, non dico nunc amplius, nouarum rerum amantiſſimorum conſiliis, uel furiis potius de chriſtianæ tranquillitatis poſſeſſione deturbatos intelligerem, facile in eam opinionem adducebar ut crederẽ, qui uos chriſtiane & amice, ueræ ac germanæ religionis Chriſti admonitos uellet, eum neque apud uos, neque apud ſummum Pontificem ullo in odio futurum, ſed magnam in eo gratiam apud utroſque, magnas etiam honoris laudes conſecuturnm. Sed interdictũ, ais, eſt a ſummo Pontifice, ut nemo cum Germanis cõgrediatur:

etſi

etſi ita eſſet, non tamen puto cum omnibus, ſed cum obſtinatis, & de quibus nulla correctionis ſpes relicta eſt. Multi etenim in illa florētiſſima olim prouincia uiri ſunt e religione Chriſtiani, & ab omni arte inſtructiſſimi, quorū te poſſit inſtruere conſuetudo ad Chriſti, & Romanæ Eccleſiæ cultum, & ad omnia uirtutum & honeſtatis officia. Multi ſunt item, qui a pietate deſciuerunt non tam animo aberrandi, quàm ab iis qui uiam perditionis demonſtrabāt, facile decepti: & eo ipſo quòd recta incedere ſe putant, aberrantes. Hos etiam ſi erudiendi gratia conuenias, non obſtruit tibi aditum ſummus Pontifex, ſed ad eos, quos aditu, quos congreſſione, quos ſermone indignos iudicat: hi ſunt qui Lutheri dogmata & ſua rationibus ſuſtinere contenderunt, & maximam calamitatem, & nefariam peſtem reipublicæ attulerunt. Et quemadmodum ſapiens prætor cum uiderit aliquos in urbe peſte laborātes & ægros, cæteros prohibet eorum aditu ciues, ne contagione inficiantur, medicis autem illos adeundi non item facultatē interdicit, quod e republica ſit, ut miſere laborantibus curatio aliqua & remedium adhibeatur: ita Pontifex maximus cum cæteros a Germanorum congreſſu prohibeat, eos tamen non prohibet, qui ipſi non humano aliquod ſtudio, ſed diuina inflammati charitate ad adhibēdam graui uulnere ſauciis medicinam excitantur. Itaque ſecundo huic generi non uere bonorum, neque perdite impiorum, ſed errantium, & deceptorum ualde cupio quàm ſaluberrima medicamenta quàm primum a quàm plurimis adhiberi. Nam cum illi non tā cōſilio & ex animo, quàm alieno dolo & errore quodā, quē quaſi cum lacte nutricis ſuxiſſe uidentur, & ingenito morbo laborare uideantur, quis tantum non delirus, ac plane mente captus non intelligát, eum uere bonum eſſe ciuem, beneq; de republica meriturum, qui medicamenta ægris eorum animis afferat, qui curationem adhibeat, qui faciat, ut non deſpero me facturum, medicinam? Enimuero, ſi uerum dicere fas eſt, quod illi non reſipiſcāt, quod diu a ueritate aberrent, & in deprauata ſententia turpiter permanere uelint, non illorum ſolum, ſed noſtra quoque, noſtra, inquam, quoque culpa eſt. Nam ſi nos qui uere Chriſtiani ſumus, & dici uolumus, omne noſtrum ſtudium & diligentiam in iis ad uerum Dei cultum reuocandis poneremus, ſi id & uitæ exemplo, & integris moribus, & amantiſſimis cohortationibus efficere niteremur, eos in errore diutius permanſuros iſto credendum non eſt. ſed, bone Deus, quàm languidi & inertes in hac iuſtiſſima cauſa ſumus? Quòd ſi pietate ulla aduerſus Deum & homines, ut de-

 cebat,

cebat, inflammati eſſemus, profecto omnem lapidem, ut hi ad ſe re dirent, moueremus, & nunquàm niſi re cōfecta acquieſceremus: ſed ita lenti ſumus, ac plane frigemus, ut homines, quibuſcum natura nos uinculis arctiſſimis deuinxit, mentis ægritudine laborantes, facile contemnamus, aut certe diligenter & amanter, ut decebat, non curemus. Atque hæc quidem contemplanti mihi honeſta ratio animos (utinam par ſit uoluntati facultas) magnos fecit, ac ſpiritus quaſi languentes excitauit, ut uos, uiri Principes, earum rerum, quarum rationem habere ueſtræ ſunt partes, amantiſsime commonefacerem. Sed cum mihi, uiri Principes, cauſa diſceptandi, & ueritatis aperiendæ gratia multa in hos huius nouæ ſectæ authores dicenda ſint, de uobis etiam nō pauca, quippe qui ante cœptam animo illius falſæ tāquàm ueræ religionis opinionē, uobis cōtendam euellere, Romanæ autem ueræ ac germanæ pietatis radices inſerere alterum peto a uobis, ut contra illos dicentem benigne, alterum ipſa, puto, incompta quidem illa, ſed ueritatis ſplendore illuminata oratio & liberalis efficiet; ut cū de uobis dicam, me attente audiatis. Qua quidem in cauſa ea tantummodo, ita me deus adiuuet, quæ cum uериſsima eſſe, tum ad rationes ueſtras & honores accomodatiſsima intellexero, ante oculos uobis ponam, & ad ea complectēnda amantiſsime cohortabor. Ac primum contēplanti mihi, & ea quæ per hoſce aliquot annos in Europa geſta, & temere nouata ſunt, memoria repetenti, perbeati mihi illi fuiſſe uidentur, qui ne miſeram reipublicæ calamitatem uidere poſſent, libentes atque alacres cum morte uitam cōmutauerunt. Neque enim uiderunt Martinum Lutherum, & Melancthonem, duo portenta & funera reip. optimos & præſtantiſsimos in religione uiros decipere ſatagentes, cruentaque bella in florentiſsima ampliſsimaq; prouincia Germaniæ permiſcentes, non uiderunt eorum ipſorum, qui tunc temporis Pontifici maximo ut Chriſti Dei Vicario parebant, miſerabilem ac celerem ab eo diſceſſionem, non templa Diuorum expoliari, non uirgines Chriſto cōſecratas per uim uitiari, non ſacra polluta omnia & uiolata, non Pontificis maximi (exhorreſco dicere) nomen ſanctum conuitiis appetitum, & tanquàm diris malis exagitatum. Atque hæc primum cum iſthic tela texebatur, ſimulatione ſanctitatis inexpiabiles fraudes obtendebantur. Corruptos huius temporis mores arguebat Lutherus, epiſcoporum in grege paſcendo ignauiam & ſocordiam accuſabat, Pontificem maximum in prærogatiuis, quas Indulgentias appellamus, dandis tanquàm nimium liberalem

inſimulabat,

inſimulabat. Atque hæc, atque alia huius generis, ideſt, adumbrata & commentitia documenta, quæ is concionando, ſcribendo, & in ſermone etiam familiari quotidie uobis inculcabat, chriſtiane ac ueriſimiliter dici uidebantur, ſuffragati ei plerique omnes eſtis. Itaque hominis confidentiam per ſeſe ſatis ipſam impudentem, ac diſſolutam auxiſtis, uoſque ipſos neſcientes ac imprudentes in non uulgarem fraudem & periculum coniecistis. Nam ſi uerum dicere fas eſt, decepti, decepti inquàm eſtis, uiri Principes, & Lutheri iniquiſſima cauſa a uobis acta eſt, non religionis. Quod ſi oſtẽdero uobis erratum eſſe perſuaſione falſa ac fallaci iſtius mõſtri tricipitis, cauſa profecto non eſt, quin redire in uiam, & ex calamitoſa iſta procella liberi aliquãdo portum tenere ſecuriſſimum uelitis. Nam quid hic affert, cur a uera Chriſti fide & Eccleſia Romana diſcedatis, niſi meras nugas, & ſtultiſſimam delirationem? Male, inquiunt, uiuunt epiſcopi, Cardinales, reliqui ordines. Næ tu omnium hominum innocentiſsimus recte facis, qui cum in omnium libidinum cœno turpiter uolupteris; aliorum leuiſſimis maculis oſtendaris. Quis iſta uitæ unquàm incontinentia uixit uti tu? qui cum ſcortis impudentiſsimis, non dicam cum exoleris (quãquàm par eſt credere) conſuetudinem frequentiſſimam habueris? Quis ita a re aliena minus unquàm nõ tẽperauit ut tu, qui multorum bona partim dolo, partim ui ſurripiendo deuoraſti? Quis deniq; uſque adeo pacis, concordiæ, cõpoſitionis fuit peruerſus amator ut tu, quem multis annis nullus dies uidit a cæde facienda liberum, aut caſtum a cruore ciuili? Quæ nam iſta tua demens oratio eſt? Peccat ſummus Pontifex, ideo non Pontifex, ſed fraudator eſt? Hoc modo quanto rectius diceretur, Peccat Lutherus homo, ergo non homo, ſed furia, uel cacodæmon ipſe eſt. Sed nonne uides quàm non recte colligatur, quia Pontifex aliquando labitur, ideo Pontifex non eſt? Quanto enim melius dici poſſet, quia ſummus hic Pontifex omnia recte facit, in nihilo labitur, non ſenex, non uir, non adoleſcens, non in pueritia, non in infantia peccauit, non homo, ſed uel Deus quidam eſt, quàm quia peccauit, ideo Pontifex non eſt. Non enim labi, non errare ſolius Dei eſt, aut eius cui, ut eius matri, ut Ioanni Eliſabetæ filio, hoc conceſſit Deus beneficium, cæteri labuntur omnes: neque tamen propterea quàmuis uitæ innocentia maculetur, poteſtatis, aut dignitatis gradus imminuitur. Peccat rex grauiter in ſuos, aut uir aliquis princeps, neque tamen eis protinus regis, aut principum inſignia tolluntur: & ſummum Pontificem, in quem animaduertendi ſoli

li Deo reſeruata eſt poteſtas, tu uis de altiſsimo gradu dignitatis ob leue aliquod delictum deturbare? An tibi dari uis uni, quod malignis inferorum dæmonum principibus, quamuis ad nocendũ ualentiſsimis & potentiſsimis, non datur, ut Petri claues ab eo extorquere poſsis, aut omnino interturbare? Sed oïa, inquis, mea decreta probo authoritate diuina. Hic uos quæſo & obteſtor, uiri Principes & ſapientiſsimi, ut diligenter attendatis, & ueſtras tantummodo mentes, atque attentos animos cæteris omnibus conſultoribus excluſis, tantiſper dum hoc totius negotii uelut fundamentum demolior, in conſilium adhibeatis. Si bona ſunt, inquit Lutherus, unum pro omnibus appello, quæ affero, non repudietis: ſi mala, conuincite. Facile equidem, quanquàm ueſtrorum dogmatum improbitas nobis uel tacentibus ipſamet coarguitur, ſatis ſuperque refellitur ueſtræ turpitudine uitæ. Sed facile te tuaq;, & multorum ſcriptorum elegantiſsimæ apertiſsimæq; rationes, & argumenta conuincunt: ſed quæ in ſcriptis ſunt diuinis, nullo modo reuelli, nullo modo præteriri poſſe contendis. Recte quidem, ſi tute ſatis ſolus ſapis quæ ſint in ſcriptis diuinis, & quo modo, & quatenus obſeruanda. Nam ſi ualde urges, tuis te uinculis illaqueabo, pauciſsimisq; interrogationum laqueis irretitum tenebo. Quid enim, rogo te, tu tam multa prætermittis in tuis iſtis ſanctis legibus, quæ ſunt in literis ſacris? Atque hæc quidem, nobiliſsimi Principes, non aſſertionis a me cauſa, quæ modo ſubiiciam, ſed ueſtros theologos gratia refutandi dicta putate. Cur

Exo.20 itaque diebus Dominicis ab omni ſeruili opere ſuperſedetis? Sabbathis enim ait Chriſtus eſſe uacandum. Cur ſi oculus tuus offenſioni & ſcandalo tibi eſt, non eum ipſum eruis? Sic enim Chriſtus

Mat. 5. iubet. Cur Chriſti aduentum tibi, & omnibus libertatem attuliſ-

Mat.15 ſe ais, cum is dicat, niſi ad oues quæ periere domus Iſrael, non eſſe ſe miſſum? Cur uos ſi quis intemperata ingluuie diſtentus ægro

Mat.15 tet, peccare dicitis, cum Chriſtus contra, non quod intrat in os, dicat, nõ coinquinare hominem? Cur uos Chriſtũ omnia præuidiſſe

Mat.24 futura cenſetis, cum ille dicat, De die autẽ illa & hora nemo ſcit, neque angeli in cælo, niſi Pater? Cur eiuſdemmodi alia ſexcenta & in legibus ueſtris habetis, & obſeruatis contra quàm diuina iubeat ſcriptura, quæ ita tamen mordicus tenetis, obſtinateq; defenditis? Cur, inquàm, quæ diuino iure & uoce comprobantur, hæc repudiatis? Quia, inquis, non ita iſthæc, ſed aliter interpretãda cenſeo. Quid ſi negare uelim, quo me argumento conuinces? Rationibus, ais, & aliis eiuſdem authoritatibus ſacræ ſcripturæ,

in qua nihil poteſt eſſe ſibi, ideſt, ueritati contrarium. Audio, & quidem ualde lætor in hoc te ita recte ſapere, ut ſi quid in ſacris literis obſcurum, aut latens ſit, id ut aliis eiuſdem authoris, ideſt, Dei ſcriptis explicemus, uerumtamen eodem modo, ſed & pari ratione, cum uos ueſtra in medium decreta profertis, non eſſe uota Deo nuncupata ſoluenda, nihil ad ſalutem animæ nobis opus eſſe recte factis, atque id genus alia, uos diuinis ſcriptis cōſentanea eſſe dicitis, nos repugnare. Quid igitur facias? eligantur iudices. Recta profecto & honeſta poſtulatio: ſed non uultis ex noſtris hominibus, neque ex ueſtris nos. Nam ſi dicimus ex noſtris ſumi tātum oportere, indignamini: ex ueſtris nolumus, quia eodem quo uos eſſe putamus mentis errore obcæcatos. Ad quos igitur, qui controuerſiam dirimant, confugiemus? Non credo uelle te ad Iudæum aliquem, aut Turcam, ac recte quidem. Sua enim cuique genti ſecta eſt, & a noſtra quidem fide ac pietate longiſſime diſiuncta. Ac Turcarum quidem ſpurca & libidinoſa decreta uidetis quantum a pietate Chriſtiana, & perſuaſione huius Imperii & malorum noſtrorum inſtitutis abhorreant. At Iudæorum perfidiam omnes gentes Turci, Chriſtiani, Indi, Mauri priuatim ac publice oderunt, & execrantur. Itaque alterutrorum lectione iudicum duplex imprimeretur Reip. noſtræ dedecus., alterum, quòd nullum apud noſtros ſatis dignum, ac ſatis rectum iudicem futurum fuiſſe indicaremus: alterum, quòd ex alienis non niſi ineptos ac turpes iudices haberemus. Ergo ad caput Eccleſiæ Chriſti, Pōtificem maximum, neceſſario deueniendum nobis eſt, qui lites componat, controuerſiam omnem diluat, qui Vicarius Chriſti cum ſit, non quis dicat, ſed quàm recte ac chriſtiane dicat proculdubio animaduertet. Sed Pontificem putas in noſtram ſententiam libenter iturum. Si rectam uiderit, certe: ſin minus, haudquaquàm. Nam quod uos, niſi aut mentis magna cæcitate, aut animi uitio, & obſtinatione teneremini, ipſi cernere poſſetis, ſummus Pontifex cum homo natus ſit, & ita non ſecus ac cæteri omnes in crimina quandoque labi poſſit, ualde ut homo cuperet, coniecturam ex me facio, recte factis, ut uos aſſeritis ad ſalutem nihil opus nobis eſſe, ſed ſola fide peccata poſſe remitti: ualde ēt optaret in aperiendis alteri peccatis non ſibi magnam eſſe moleſtiam deuorandam: ualde item cuperet, cum animam efflaret, ſine ullo apud inferos cruciatu ſe poſſe Deo de ſuſceptis criminibus purgare. Sed quāuis hæc ut homo, & peccatorum labe maculatus ſibi liberiora dari uellet, cum tamen ut Chriſti Vicarius aliter uideat a Deo ſancita eſſe, &

ideo

ideo recta, ac propterea non poſſe ſine ſcelere prætermitti, accingit ſeſe ad ea animoſe complectenda, præſcribenda, defendenda, ſeruanda; quare expediebat hunc ſumere nobis iudicem Pontificem maximum, etiamſi complures, ex quibus ad arbitrium noſtrum eligere poſſimus, haberemus: cum autem neminem alterũ habeamus, neceſſario hunc & æquiſſimum, & ſapientiſſimum aſſumere debemus. Sed nondum acquieſcis, & ex noſtris, & ex ueſtris, hoc eſt, ex utraque parte paribus ſimul ais iudices conſtituẽdos. Vide quid interſit inter cauſam noſtram rectiſsimam, & tuã, non dico amplius, certe turbulentam & obſcuram. Quidlibet poſce, non recuſabimus. Vis ex noſtris, mos geratur, me qui uix diſcipuli nomine dignus ſum, iudicem ſtatuo. Hic uos, & omnes Chriſtianos ciues oro & quæſo, ut tantiſper dum Lutheri cauſam iugulo, iudicis me nomine frui tanquàm lucis uſura ſinatis: poſt ubi peroraro, ipſe me hac tanta dignitate, qua dignus utique non ſum, mea ſponte abdicabo. Me igitur, inquàm, iudicem ſtatuo; quem uos ex ueſtris iudicem aſsignatis? uidelicet ipſum Lutherũ, Melanchonem, Oecolampadium, & cæteros huius machinæ authores. Congrediamur igitur modo ſine maledicto, aut contumelia. Bellicum canere incipite, tela iam demum in corpus meum iacite. Quid affertis? non eſſe aperienda ſacerdotibus crimina? nõ eſſe locum purgandis defunctorum animabus? non (refugit animus, atque hoc reformidat dicere) in cõſecrata hoſtia Chriſti corpus diuino adeſſe ſacramento, atque alia nõ minus temeraria & cæca? At ego falſa hæc, & fallacia eſſe omnia dico, contra pietatem Chriſti, & eius Eccleſiæ religionem. Rationes ueſtras adducitis, meas expectatis. Legite Hieronymum, Auguſtinum, legite ex æqualibus noſtris Roffenſem, Echium, Coclæum, & ex ſodalitate D. Franciſci Aſsiſiatis gentilem meũ Caſtrum, permultosq; alios, qui in uos eruditiſsime, elegantiſsime & (quod caput eſt) ſanctiſſime ſcripſerunt: etſi placet etiam, legite quoque orationẽ noſtrã eam, quæ ſingillatim hæc ueſtra dogmata refutat, atque illinc aſſumetis, quæ ad hunc locum pertinebunt. Vereor, ſi feceritis, ne non argumenta deſideretis, ſed potius multis & firmiſsimis, & grauiſsimis argumentis tanquàm fluctibus obruamini. Sed dicitis, Nõ euincimur, ergo eodem reuoluamur, & ad Pontificem maximũ reuertamur neceſſe eſt, cuius nihil profecto intereſt, utroſuis eſſe ſuperiores, ſed eius profecto ualde intereſt, nunquàm in oculto latere, ſed ſemper in aperto eſſe, & coli ab omnibus & comprehẽdi ubique ueritatem. Sed ueremini forte, ut magnum odium in uos

ille iam diu conceperit, & adhuc quoque contineat inueteratum. Fallit hæc uos ſuſpitio: odit enim ille ſemper impietatem, & facinora, ſed ſuos liberos amat. Etenim habet is multos dicto obediētes, ſed alios quoque contumaces & ſuperbos. Illos magna charitate & indulgentia complectitur: hos arguit, corripit, caſtigat, non quia non chariſsimos habeat, ſed diſperſos ac diſsipatos cum uideat, iterum in unitatem ueræ fidei congregare, congregatoſque complecti & fouere, ut pignora chariſsima omni conatu ſtudioq; contendit. Itaque pari in utrorumq. ſalutem amore & propenſione animi cum ſit, ſine ulla cupiditate, aut ambitione, rurſusq; ſine odio, & ſine inuidia iudicabit. Quare uidetis, ſapientiſsimi Principes uiri, Lutherum, & eius ſubſcriptores irretitos diſceptationis huius laqueis eſſe. Aut iudicaturū conuinco de controuerſia, quæ inter nos eſt, ſummum Pontificem, aut præter hunc neminem alium. Videmus enim hæc in rerum natura tria eſſe, ut aut ex alienis, & qui Chriſti nomē execrantur gentibus, iudices aſſumamus, aut ex utriſque noſtrum pares, aut in Eccleſiæ Romanæ ſententiā diſcedamus. Ex alienis ſumere dementiſsimum eſſet, ex noſtris fieri non poſſe monſtrauimus: ad Eccleſiā igitur accurrere uirtusq; & honeſtas, & ipſa religio nos, ac neceſsitas cogit, quod qui non uidet: cæcus, qui cum uidet, aliter decernit, impius & intolerabilis eſt. Sed ille tamen adhuc in ſalebra hæret, & Chriſti ac Pauli Tharſenſis diuini profecto uiri dictis ſe adhæreſcere, nos argumētis, ait, pugnare. Sed quæ (malum) eſt iſta ratio, optimis argumentis ſacrarum literarum nomen falſo opponere, quarum etiam ſi documenta probe teneretis, tamen ea complecti uitiorum ac facinorum aceruis cooperti nō potuiſſetis? Itaque quia ratione probare turbulenta iſta tua & ſacrilega documenta, & facta ſcelerate non potes, ad authoritatem tamquàm in aram confugiſti. Quaſi uero nos nō Chriſti doctrina imbuti, ſed uel Mahumeti, uel Licurgi inſtitutis noſtram uiuendi rationē, Eccleſiæ decreta, moreſque maiorum & inſtituta tueamur. Cur hanc nobis, profligate, tantā apud nobiliſsimos iſtos Germaniæ principes inuidiam, & infamiā conflate uis? An nō Chriſtum Deum pie ſanctéq; colimus, & eius dicta certiſsima, & diuina credimus oracula? Sed enim cum ille ex hac uita migrauit ad æternum patrē, ſi quid in ſcriptis quatuor eius Euangeliſtarum deficeret, aut ita eſſet obſcurum, ut egeret interprete, ſummum nobis Pontificem reliquit, cui Eccleſiæ ſponſæ ſuæ fidem, curamque commiſit. Nam ſi aliter dicis, cuilibetq; ad nutum religionis ſanciendæ concedis facultatem, quot erunt

in orbe terrarum capita, tot (quoniam diuerſa,& uaria ſunt homi num ingenia) proculdubio conſtituentur religiones. Quare uelis nolis, aut te ſolum legislatorem oportet propalam affirmes, aut ea quæ nos habemus, ſancta eſſe decreta & ſalutaria concedas:aut ſi adhuc controuerſaris, utrique nos neceſſe eſt, ut Pontificis ma ximi iudicium & ſententiam expectemus. Vide quid eligas, poteſtatem tibi optionemq; facimus libere eligendi: aut ſi negas, alia tibi refugia relicta certe non ſunt, niſi in quibus, uelut beſtiæ in latibulis, delitescas. Nam te non puto ita dementē, quanquàm ſis omnium dementiſſimus, illud ut dicas, quæ aſſeras contra maiorum diſciplinam, firmamenta Eccleſiæ, & Chriſti religionem, diuino te inflatu inſtinctuq; proferre. Ecquando enim tu exanguium corpora mortuorum ad uitam reuocaſti? Ecquando lumina oculorum amiſſa cæcis reſtituiſti? Ecquando ſurdis audiendi uſum, luxatis ſua membra reddidiſti? uel ecquando potius tua mens, animus, oculi, manus a ſcelere & improbitate uacauit? Certe a pleriſque qui te bene nouerunt, audiui ſerio dici, ſic te ab ineunte adoleſcētia incœpiſſe peccare, quod ipſum quibuſdam ſanctimoniæ uelis callide obtendebas, ut cum prima rudimenta poſueris, ſingularis iam eſſe ſcelerum architectus, & famoſus artifex uiderere. Neque uero poſtea ætatis progreſſu reliquū tempus ab illa bene culta & moderata adoleſcentia diſſenſit: quia quamuis in te ætas cum ætate decertauit, tamen nulla ab altera uinci flagitiis & improbitate potuit. Quare ita credere debetis, uiri Principes, duo capita poſt homines natos teterrima, & ſpurciſsima eſſe nata Mahumetum, & Lutherum, quorum alter totam Aſiam ad turpem uitam, ad flagitia magna, ad impietatem traduxit: de altero cognitum iam eſt quòd Europam deprauare uoluerit. Arrius de Deo nefarie ſentiebat, Manichæus magno in errore uerſabatur. Donatus quoque fuit impius, quorum tamen falſas & peſtiferas opiniones doctorū facile doctrina ſanctorum, & conciliorum authoritas deleuit. Ecce tibi geminum in ſcelere par Mahumetus & Lutherus, quorum libidinoſam uitam, & ſcelerata commenta cum ueritas ipſa reuincat, & Eccleſiæ authoritas damnet, tamen perfida adhuc obſtinatio defendit. Itaque quorum ſummum inter ipſos odium, & diſsimilitudinem eſſe putabatis, eoſdem poſtea uelut fratres geminos pari nequitia, & turpiſsimæ uitæ ſimilitudine deformatos uidetis. Ergo id, quod in Aſia & Aphrica fecit Mahumetus, in quo potuit in Europa imitatus eſt Lutherus. Sed ille cum inter homines barbaros, & omni literarum patrocinio deſtitutos ſuam

 nefariam

nefariam ſectam diſsipauerit, mirum non eſt, ſi multos mortalium uitæ ſolutioris libertatem proponendo, & æternitatis ac gloriæ non modo ſpem, ſed uel certam fiduciam, & tanquam arrhabonem eis offerendo, quaſi hamo piſces inæſcaret. Sed Lutherum in florentiſsima iſta prouincia tot uiros nobiliſsimos, eruditiſsimos, ſanctiſsimos etiam exturbaſſe, incredibile profecto & admirandum eſt. Sed ad reddendum depoſitum, ad extollendos iacentes, ad ſubleuandos inopes, ad honeſtatis uos ille officia adhortabatur. Vtinam ſceleratus ex dolo & fraude compoſitus, uos, uiri Principes, ad ſpoliandos ciues, ad fraudandos creditores, ad tendendas inſidias, ad maledicendum adhortaretur, non facile, credo, uos, immo uero nunquam uos, aut Germanorum quemquam de recto uirtutis tramite dimouiſſet: ſed imitatus eſt, ac potius ſingulariter expreſsit cacodæmonem illum perantiquum ſuum & ſuperbiſsimum parentem, cuius dolo conſtat hominum genus funditus euerſum fuiſſe. Etenim callidiſsimus ille ſerpens, & humano generi infeſtiſsimus hoſtis, palliatis & mendoſis uerbis primos parentes facile decepit, proponendo illis ſummam ſempiternæ gloriæ felicitatem. Quid autem ſi diceret, Si quidem uetitis fructibus ueſcimini contra Dei præceptum, capitalem fraudem admittitis, omnibus bonis uos ipſi euertitis, omnibus animi ornamẽtis, omni dignitate ſpoliatis, magno cruciatu corporis uitam agetis, ac huius grauiſſimi facinoris, aliorumque ſcelerum conſcientia cruciati apud inferos ſempiternas quidem pœnas ſuſtinebitis. Quid ſi, inquam, hæc diceret? Si id ita ſuaderet, num creditis illos interdicto pomo manus ſacrilegas adiecturos fuiſſe? non equidem putatis. Haud aliter igitur inſidioſus ille & ſceleratus homo mendoſis ac fucatis ſuis documentis cum uirtutibus uitia intexens, non ſecus quàm qui melle toxica illinunt, ſua uobis tradidit uenenata documenta, quæ deuoraſtis, atque ita partim impietatis quaſi lætali ueneno interiere, partim remediis adhibitis conualuerunt, partim etiam nunc, quos morbum depellere ualde optamus, ægri & infecti laborant. Nouerat ille callidiſsimus & terribilis draco maiores ueſtros cum nobiliſsimos, ac generoſiſſimos eſſe, tum uero ſimpliciſsimos ac minime omnium mendaces, atque propterea qui uix crederent de altero ulla de cauſa mentiturũ: præterea ſanctitatis et omnis affatim amatores eſſe, obſeruatores religionis, cultores pietatis, atq; ita facile eſſe putat, eos ipſos in Pontificẽ Romanũ incendere, & in ſuã ipſius opinionem adducere, atq; hinc bonã ſe famã & celebre no-

men apud omnes collecturum, magnas opes acquiſiturum, am-
pliſsimos dignitatis gradus conſecuturum, quæ illum cogitatio in
omnes partes non fefellit. Itaque incœpit ſacrilegus, quem neque
puduit unquàm ſtultitiæ ſuæ, neque plane improbitatis, Pontifi-
cem maximum, cui paulo ante per epiſtolam ſe, omniaq; ſua ſubie
cerat, apud parentes ueſtros calumniari, & inuehi atrociter in eũ,
quòd non unquàm, ut humanus, laboretur, quòd indulgentias
uænales, ſic enim mentiebatur, haberet, quòd anni uerſarios ali-
quot dies nos ab edendis carnibus abſtinere uellet, quòd aperire
penetralia cordis ſacerdoti iuberet, uel potius id nobis a Deo præ
ſcriptum denuntiaret. O inſignem hominis ſtuporem, ſi ita ſen-
tit: malitiam & calliditatem, ſi eum aliter ſentiat, ita temere deli-
ret. Vænalia Pontifex habeat ea munera, quibus ab illo libere cõ-
ceſsis omnes nobis animorum maculæ eluuntur? quo tandẽ quiſ
que pretio, quibus margaritis, aut gemmis, aut quàm magno au
ri pondere rem inæſtimabilem emat? In ſcribendo diplomate for-
taſſe non nihil pecuniarum inſumpſeris. Pontificis enim ſcribæ nõ
tibi forte gratis inſeruiant: at tibi uis ea gratis a Pontifice dari, &
impartiri commoda, cum Pontifex dixerit, fiat. Si credis, gra-
tuitu dedit. Si uis ut alii tibi impartita fuiſſe credant, diploma ti-
bi eſt paucorum numum diſpendio deſcribendum: quanquàm ſi
impendere non uis, quis tibi neceſsitatem ullam affert? Fac iſtam
peccatorum relaxationem & ueniam, pœnaq; remiſsionem, quod
eſſe non poteſt, ſed fac uænalem eſſe, quis te cogit ut emas? Res
ipſa, inquis, placet, non placet diſpendium. An uero neſcis quã
ti? quanti bene emi quod opus eſt. Sed uides ea nobis omnia li-
bere & gratuitu impartiri, & cum Pontificis liberalitatem iure re-
prehendere nõ poſsis, ea quæ neque ſunt, aut fuere unquàm iniu
ria turpiſsime calumniaris. Nam quòd ſtatos aliquot in ſingulos
annos dies nobis iubeat ut a quibuſdam epularum cibis abſtinea-
mus, id ei tanquàm ſingulare quoddam munus acceptum ferre de
bemus. Abſtinentia enim cupiditates noſtræ infringuntur, libidi-
nesq; dominæ ſuperbiſsimæ domantur, & in feruente corpore tã-
quàm ſedata tempeſtas aduenìente tranquillitatis aura quieſcunt:
tum etiam uires corporis modico cibi & potionis adhibito reficiũ
tur, multitudine debilitantur. Sed de tertio uideamus. Magni la
boris eſt, quem plerique fugimus, quæ in oculto feceris, alteri in-
dicare: immo uero ſummæ cuiuſdam iucunditatis & delectationis
eſt a nobis ea præſtari, quæ diuina ratio & doctrina præſcribit.
Nam hanc aperiendorum criminum regulam & præſcriptionem

Dei eſſe, aliàs a nobis eſt & quidem, ut puto, luculenter explicatum. Hic autem non ſingillatim, ſed ſi quæ offerunt ſe, obiter & generatim dogmata Lutheri refutamus. Sed quoniam emendatorem ipſum & correctorem chriſtianæ noſtræ legis probabili certe & minime ueteratoria ratione ſatis diu torſimus, eiuſque ſequaces contentionis cupidiores quàm ueritatis, ad uos uiri Principes, quorum ſalutis cauſa hæc a me diſceptatio ſuſcepta eſt & inſtituta, reuertamur. Mihi quidem & bonis omnibus, ut credo, admirandū fuit in ſacro Tridentino generali concilio oratores ueſtros propalam dixiſſe, de ueſtris, & illorum qui aderant (aderat autem Eccleſia) articulis controuerſis aliquid, niſi uobis præſentibus & diſceptantibus, non eſſe decernendum. Nam ut hæc, atque eo pacto cum ueſtris ciuibus, cum æqualibus etiam ueſtris, & ſi placet, etiam cum magnis regibus agere uobis liceat, cum ſacroſancta matre tamen Eccleſia ita prorſus agere non licet (non diſputo quàm æqua ſit illa & modeſta poſtulatio, uerborum licentiam & libertatem corrigo) nihil enim nobis controuerſiæ cum Eccleſia Dei aut porro eſt, aut eſſe poteſt. Illa enim poſt abitum Chriſti ad patrem diuina ſponſi & ſua quoque ſanctiſſima decreta toti orbi terrarum obſeruanda proponit, quæ nos, quiſque ut ſibi libet, obſeruamus, quæ tamen eadem interdum nos ipſi prauo mentis affectu corrupi, quoniam deprauare non poſſumus, repudiamus, nonnullaque ex illis non eſſe a Chriſto Deo affirmamus, nonnullaque peruerſe interpretamur, multa addimus, multa delemus: leges denique ipſas nos figimus ac refigimus ad animi noſtri nutum & uolūtatem, atque hinc magnum uidemus ſæpe fieri diſſidium aliis uiris catholicis Eccleſiæ Romanæ decreta defendentibus, aliis eadem ipſa & uiolantibus, & reſcindentibus. Sed ut ſit hæc inter nos uel ſumma diſſenſio, ut ſæpe de religione confligamus, ut interdum ad iurgia & maledicta, ad ſeditiones, & diſcordias deueniamus, tamen Chriſti ſponſam uerbo, aut maledicto nō uulneremus: quinimo ſi quid ambigitur, ſi quid ignoratur, eandem ipſam, unde affatim diuina funduntur oracula, conſulamus. Neque enim illam aut fallere poteſt diuinus ſponſus, aut illa nos. Neque uero tanquàm ad ſeruam aliquam, aut ancillam noſtram debemus petituri conſilium accedere, ſed ut ad Reginam præpotentem totius orbis terrarum, dominam omnium, interpretem Dei, internuntiam Chriſti, altricem uirtutum, expultricem uitiorum, propugnatricem ueritatis. Vnde mirari ego quidem ſatis non poſſum, uiri Principes, oratores ueſtros ueſtro nomine, quanquàm (ut par eſt credere) fortuitu, nec

præ-

præmeditatos in concilio Tridentino illum ſæpe ſermonem uſurpauiſſe, de noſtris & ueſtris articulis cõtrouerſis ut dicerent. Nam ut hæc oratio nobiſcum ſi haberetur, ferenda æquo animo eſſet, quoniam magna nobiſcum uobis controuerſia eſt: tamen in legitimo concilio & œcumenico apud Senatum tantorum ex omni natione Patrum ea dici, & in concione proferri, nonne inconſideratum, ne quid grauius dicam, & temerarium eſſe putandum eſt? Etenim quemadmodum ſi de duorum ponderum grauitate nonnulli diſſentiant, inique fecerint ſi libram ipſam inculpare uelint, quæ impoſitis ponderibus in utraque lance quid magis ſit ponderoſum facile ſit iudicatura: ita profecto & ſtultum, & iniquum uideri debet, cum inter nos Chriſtiani diſſentiamus, in Eccleſiam culpam conferre, quæ plane nobis, ſi cõſulamus, æqua lance patefaciet ignota, dubia explanabit, aperiet obſcura. Sed uos perinde cum ſancta Eccleſia loquimini, atque ſi cum priuato aliquo homine loqueremini, cui certe rei (ut alia omittam) fidem facit libellus ille legatorum Ducis, quem honoris cauſa nomino, Vuitebergenſis, qui per eos legatos in concilio generali oblatus eſt, cuius libelli dum aliquot capita recito, dumque de ſingulis ſententiis breuiter edíſſero, uos ipſos, uiri Principes, uos inquã ipſos oro & obteſtor, ut attente, & bona cum uenia mea uerba audiatis.

Verba Legatorum Ducis Vuitembergenſis.

Sed priuſquàm Theologi ſuſcipiant explicationem, petit Illuſtriſſimus Princeps noſter de quibuſdam grauaminibus ſuis ſententiam Tridentini conuentus audire.

Neque concilium generale, neque conſilium publicum, neque Chriſti Eccleſiam appellare audet, ne ſi dicat, unius uerbi proprie ſignificantis ui, quaſi magna uoti religione ſe obſtringat, unde nunquàm ſeſe putet in poſterum expediri poſſe. Itaque conuentum appellat, cuius uerbi uis multitudinem hominum in unum locum congregatam ſignificat. Sed primum hoc uerbum non magnam habet dignitatem: deinde magnam habet cum conuenticulis concitatæ multitudinis, & aut in rempublicam, aut bonos coniurantis affinitatem: & ut conuentus meretricios, & uirorum mulierumque conuentus, & nocturnos conuentus, & nõnunquàm etiam ſenatorios, & imperatorios conuentus apud eos qui latine loqui, & emendate didicerunt, inueniamus, nunquàm tamen cælitum, aut Diuorum, aut ſummorum Pontificum conuentus dici, ſed concilia reperiemus.

Primum grauamen.

Offenſum ſe, aut læſum dici uult, & offenſiones dinumerat, & quia ſcit ſe incurriſſe in odium, offenſionemque populi Chriſtiania

ni,pro offenſione, aut læſione, grauamine(quo uerbo latina lingua omnino caret) is uti non grauatur. Sed quem tandem offendit Ecclesia,quæ cumulate amicis benefacit,parcit inimicis,de male merentibus bene meretur,male precātibus bene precatur,omnes denique complecti uult,omnibus gratificatur?

Quòd ad audiendum Theologorum explicationem nondum ſint ordinati & conſtituti ex utriuſque partis conſenſu idonei iudices,aut arbitri,qui de præſenti controuerſia religionis legitime,& iuxta ſcripta prophetica & apoſtolica,& iuxta uerum & uerę catholicæ Eccleſiæ conſenſum cognoſcant.

An uero tibi defuturos iudices putas in tanta doctiſſimorum uirorum frequentia,tot aſtantibus Epiſcopis ſanctiſſimis,tot Legatis Pontificis ampliſſimis & clariſſimis uiris? An etiam forte legiones angelorum expectabas tuo uocatu conuenturas fuiſſe,qui Lutheri nihili hominis & nequam fucatiſſima argumenta uentilarent,& quaſi de re dubia in utramque partem diſputare uellent, & ad extremum proferrent ſententiam? Quanquàm ſi uel angelus,aut quiſquàm alter contra Eccleſiæ doctrinam & pietatem uenerit, non ei eſſe credendum ait D.Paulus,cui uos Paulo nunquàm non credendum eſſe aſſeueratis. Hic tu igitur iudices deſideras,ubi æterni iudicis uocem in eius Romana Eccleſia reſonantē agnoſcis? Eſt profecto ridiculum,cum habeas Eccleſiæ religionem, ſacroſancti concilii ſapientiam,conſilium,integritatem,fidem,teſtimoniū,ea quæ falli,aut fallere nullo modo poſſunt,repudiare: priuatos autem homines,quos nec ipſe neſcis ſolere corrūpi & labi, iudices flagitare. Gal.1.

Nam cum Illuſtriſſimus Princeps noſter intellexit maximam partem doctrinæ ſuorum Theologorum pugnare cum doctrina & ſcientia Pontifici Romani, & eorum Epiſcoporum qui ſunt Pontifici addicti.

Pugnare doctrinam,ait, ſuorum Theologorum cum doctrina & ſcientia Pontificis,ideſt,Lutheri diſcipulorum, cum doctrina Dei. Hoc modo cum Ioue dicuntur a poetis decertaſſe gigantes, quorum perſimilis euentus & miſerabile exitium,ne uos maneat, ualde uobis,ſi ſapitis,uerendum eſt.

Petit igitur Illuſtriſſimus Princeps,ſe certiorem reddi,qui ſint futuri huius rei iudices,aut arbitri.

Videlicet de agro neſcio quotenorum iugerum lis & diſceptatio ſt, ut arbitrum tanquàm honorarium, qui controuerſiam finiat, poſtuletis. Sed non credebam latere te,quod ita apertum eſt ut nemine uel cæcum lateat, ita honeſtum & uere rectum ut nemo modo nō improbus ciuis aſpernari poſſit, ſed quoniā hic tu quidem edoceri uis,quæ ſupra diximus, iterum repetemus, ſed dabo operam,ut id minimo cum faſtidio faciam. Aio,quoniam uobis,nos qui

qui Eccleſiæ Romanæ religionem, ac more maiorum inſtituta ſeruamus, ſuſpecti atque infenſi ſumus, ex inſolentibus Turcis, aut ex perfidis Iudæis aliquem oportere legi, qui de noſtra religione, ut de coloribus cæcus iudicet. Sed hoc indignum prorſus uidetis, contraque utriuſque noſtrum religionem eſſe dicitis, idque ipſum uobis ſaluis unquàm fore pernegatis: ac recte quidem. Perfidioſi utrique namque ſunt, ac nõ propterea quid illi, aut quàm recte dicant, ſed quid nobis facere, aut ſequi conueniat conſiderandum eſt nobis. Ergo redeundum neceſſario eſt ad id quod eſt nobis propoſitum, quo intueri, & quo curſum noſtrum, omneſq; uitæ actiones dirigere debemus, ideſt, ad Chriſti Eccleſiam. Sed Conſtantienſis concilii decretum, quod uetat hæreticis fidem datam præſtari debere, derogari ad tempus flagitabatis: ſine eius legis abrogatione uenturos uos, aut legatos ueſtros ad ſacrum hoc conciliũ, quod periculoſum eſſet, negabatis, at lege abrogata confeſtim eſſe uenturos promittebatis. Sed profecto indignum uidebatur, priuatorum cauſa chriſtianæ plebis ſcita abrogari. Sed, o ſummam erga uos ſacratiſſimi concilii humanitatem, animi propenſionem, amorem & beneuolentiam, quiduis, dummodo contra Chriſti fidem haud eſſet, ut uos reconcilient Eccleſiæ, facturi uidebantur, itaque ex Senatus ſententia id decretum, quod uobis obſtare dicebatis, derogatur. Mittitur publica fides, atque ea ampliſſimis uerbis deſcripta, atque oĩbus iuris propugnaculis obuallata. Expectatur ueſter aduentus cum magna concilii auiditate & lætitia. Ducitur tẽpus, neque uos, neque ueſtros legatos uenire cum uidẽt, aut ægros eſſe, aut impediri temporis inclementia, aut quiduis aliud quàm nolle uos, quod promiſeratis exoluere, ſuſpicabantur. Magnæ tunc aduentus ueſtri cauſa Deo optimo & maximo, & Diuis omnibus ſupplicationes decernuntur. At ubi longa procraſtinatione mutatos uos eſſe intelligunt, ubi inani expectatione ſe deluſos uidẽt, magno omnium ordinum mœrore, ac uniuerſi concilii, de ueſtra ſalute deſperatum eſt: ac tunc nihil propius fuit, quàm ut luctus & miſerationis cauſa ueſtis mutaretur, iretur ad ſaga. Quod autem fieri potuit in tanta animorum, & rerum perturbatione, ſacratiſſimum, quod præcipue ueſtra cauſa conuocatum erat, concilium ueſtra iſta tanquàm certa belli denuntiatione ſolutum ac dimiſſum eſt. Sed hic uos oro, ut detis mihi hanc ueniam, ut liceat mihi a uobis quærere, quorſum attinebat noſtra Chriſtianorum decreta uos antiquari uelle, ſi cuius cauſa aduentus uelle uidebamini, non uolebatis? an ut falleretis Eccleſiam? minime cadit in tales Princi-

pes hæc ſuſpitio? An ut noſtrum in uos animum experiremini? du-
bitare non poteratis eſſe optimum: ſed ſcire uos quid ſe impedi-
menti obtulerit, dicturos puto? Facite igitur ut & nos intelliga-
mus. Non tam enim ei qui aliquid promiſit, impedimentum
ne ſoluat, quàm ei cui ſit promiſſum, cognitum & patefactum
eſſe debet: cæteroquin eius qui ſe obligarit, fides adducitur in cer
tiſſimam opinionem, dicam leuitatis, an temeritatis? Si ueſtra
ut uenire tuto poſſetis, id decretum ad breue aliquod tempus ir-
ritum fieri referebat, eo reciſo cur non ueniſtis? Si nō referebat,
cur tantopere flagitabatis? Aut malitiã hic ſubeſſe putaret aliquis,
aut inſignem ſtuporem, quorum alterum de generoſiſſima nobili-
tate neque ſuſpicari plane nobis licet, alterum quidem ne de ho-
mine. Quid igitur cauſari poteſtis? certe neque durum uos anni
tempus retardauit, neque uis maior aliqua aditum peremit, ne-
que obſtitit illud, quod tanquàm carnificem reformidabatis, Con
ſtantienſe decretum, ut nihil aliud quod uos impedierit, reli-
ctum eſſe uideatur, niſi ueſtrorũ theologorum callidum, & perni-
tioſum, & deprauatiſsimum conſilium. Principio enim, cum uos
illi recta ſequendi magna cupiditate inflammatos cernerent, ac ſi
ad concilium conueniretis, facile eſſe ut eorum captionibus, qui
bus perſtringunt aciem ingenii ueſtri, patefactis, uos ad ueram pie
tatem rediretis, illos ab ueſtris urbibus & imperio exterminare-
tis, ab occupatis ueſtris agris, & poſſeſſionibus, & dignitatibus
eiiceretis, uobis callidiſsimi heluones perſuaſere, ut id decretum
Conſtantienſe, quod obtentum iri non credebant, antiquari pe
teretis, quod cum præter eorum opinionem, ac contra eorum uo
luntatem impetratum ab ampliſsimo Senatu uident, aliis uos do-
lis, aliis præſtrigiis implicauerunt. Quare uos exiſtimate, aliquẽ
exiſtere hic ex maioribus ueſtris, qui ſit (ſunt etenim permulti)
in catalogo Diuorum relatus, prudentem ac uirum bonum, qui
ſic uobiſcum agat, ac loquatur. Viri Principes, rogo uos, conſide-
rate quid ſi iſti, quorum authoritate & conſiliis in hanc Auguſta-
nam profeſſionem ingreſſi eſtis, cum errare ſe ſe bene intelligant,
uos male decipiant? quid ſi cum recta ſe incedere credant, à uia
recta declinant? quid ſi rationibus falſis, & tamen uериſimilibus
capiuntur? quid periculi triginta dierum iter ingredi, quid Romã
uenire? quid audire Pontificem? credite mihi, ſi feceritis & ma-
gnam mihi gratiam habebitis, & inanem iſtam religionem ultro

 exuetis,

exuetis, & ueram pietatem, uerum Chriſti cultum induetis. An non huius ſententiæ acquieſceretis? an non hæc a uobis & utiliſsima, & iuſtiſsima uel nutu ipſo impetraret? Habetis igitur prõptum populi chriſtiani concilium publicum afflatu, inſtinctuque Sanctiſpiritus concitatum, uocatu ſummi Pontificis accerſitum. Huc igitur omnia conſilia ueſtra ſunt referenda, hic ſanctiſſimus concilii Senatus eſt expectandus, hic conſulendus, eius ſententia poſtulanda, atque ei quidem aſſentiendum. Sed hic uociferantur & exclamant iſti qui uos induxere, perfidi legum latores indignantur, ardent iracundia, tragœdias excitant, & concionando ad populum, & ſcribendo ſummam & peruerſam eloquentiam, & diſputandi ſubtilitatem in patrocinium ſuum aduocant, quominus eis fides a uobis adhibenda eſt. Simplex enim eſt ſermo ueritatis, nullo fuco illitus, nulla perſona tectus, nullis pigmentis coloratus. Etenim cum poſteaquàm hæc truculenta bellua caput erexit in rempub. tres Imperatores auguſtiſſimi ueſtris ſuffragiis creati ſunt: eos omnes uidetis huius Lutheri furorem & amentiam aſpernatos. At, bone Chriſte, quales iſti uiri ſunt? qua uitæ continentia, quanta innocentia, quanta in rebus omnibus temperantia, quanta fide? quanto rurſus ingenio, quanta humanitate, uirtute, felicitate, ſapientia, rerum geſtarum gloria claruerunt? Ac primum Carolus Quintus omnium qui fuerunt, ſunt, erunt uirtute princeps, de cuius laudibus omnium ſcriptorum literæ loquentur, omnium gentium linguæ, ſed neque ulla unquàm poſteritas conticeſcet; ſic iſtos ſemper eſt factioſos homines aſpernatus, ut nihil ægrius ferret dum uixerit, quàm quod iis per uos liceret eſſe uiuos. Ferdinandus uero eius inclytus frater germanus quantas res domi militiæque, quanta uirtute, & magnanimitate geſſerit, quis ignorat? cuius nomen fuit clarius, cuius uirtus illuſtrior? cuius unquàm in orbe terrarum res geſtæ maiores, ne dicam pares? qui quidem ſi tantum regni potentia & uiribus, quàm innata animi magnitudine & excelſitate ualeret, certe non modo Thraciam, Macedoniam, Illyricum, & cunctam Europam, ſed uel ipſam Aſiam, quæ in Turcarum poteſtate nunc eſt, ad imperium noſtrum adiunxiſſet. Atque is quidem Imperator, quo de nunc agimus, de hæreſi lutheriana quid ſenſerit, miſſis ſæpe legatis ad Pontificem maximum, ad ſacroſanctum Tridenti concilium, qui ſuo nomine ſe ipſum, ſuaque omnia imperio ac pote-

ſtati Romanæ Eccleſiæ ſubiicerent, facile declarauit: tum etiam obſepiendo omnes uias iſtis factioſis hominibus ſua uenenata ſemina iacendi, ne ſerperet in imperio latius malum, quid de illis nobis ſentiendum eſſet, aperte præiudicauit. Quid dicam de eius inuictiſſimo filio Maximiliano (de quo quia uiuit parcius dicendum eſt) quem contra Solimani, ſuperbiſsimi tyranni innumerabiles copias cum fortiſsimo paucorum militũ exercitu hac proxima æſtate fulgurantem, & tonantem uidiſtis? Quid tam admirandum ac pene incredibile, quàm in hac tanta perturbatione ueteris diſciplinæ, & tanta partium ac totius Germaniæ contentione exercitum ita breui conficere? confecit. Illi ſe tanto non exercitui, ſed plane diluuio opponere? oppoſuit, illum ſuperbiſſimum tyrannum maximis copiis Illyrico, & Panoniæ, ipſique Germaniæ ferrum, flammamque minitantem coercere? coercuit, quid autem coercuit? uicit atque depreſſit, magnamque eius exercitus partem incredibili uirtute ac celeritate crebris excurſionibus fregit, multisque leuioribus præliis fugauit, atque protriuit. Atque is quidem quem modo præſentem intuemur, cuius excellentem rei militaris ſcientiam, ſingularem uirtutem, maximam authoritatem, incredibilem felicitatem uehementer admiramur, uſque adeo iſtos harum ſeditionum, & nouarum religionum authores non amat, ut neque induci quidem poſſit, ut credat hoc hominum genere quicquàm eſſe in orbe terrarum tetrius, aut porro deteſtabilius. Sed ſapientiſſimus Imperator cum uideat ueſtrum non neminem, Principes Illuſtriſsimi, huic cauſæ forte nulla non de cauſa fauere & proſpicere, non uult ueſtros, quos in oculis gerit, animos uel leuiter commouere, neque illorum ipſorum improbitatem acrius irritare. Etenim intelligit hoc certe, qui nihil non acutiſsime cernit, improborum audaciam quo magis laceſſas, eo furere confidentius, pudoriſque repagula conuellere, audaciuſque refringere. Enimuero acriores multo ſunt irritatæ malitiæ morſus, quàm obdormientis & conſopitæ. Quis igitur trium Imperatorum chriſtianorum, & ſapientiſsimorum hæc lumina non ſequatur, illas Lutheri tenebras non reſpuat, ac fugiat? Quis hæc ſanctorum & ſapientiũm conſilia non capiat, illa uinolentorum ſomnia non reformidet? Quis ſuorum imperatorum exemplo, eccleſiæ Romanæ puriſsimam religionem non ſuſcipiat, illa ueteratoria Lutheri documenta non deteſtetur ac uitet? Equidem

in ea ſententia res ita ſe habet, ut conſultius multo ac plane rectius eſſe putem, cum his inclytis imperatoribus directa incedere uia, quàm cum Luthero aberrare. Sed aliud a me expectabatis: dicam equidem & clara uoce, ut ab omnibus exaudiri poſsit, dicam. Mallem, ſi fieri poſſet, cum Imperatoribus iſtis errare, quàm cum Luthero uera ſentire. Tum etiam illud uobis crebro in mentem uenire debet, uiri Principes, Deum optimum & maximum, quem neque facta noſtra, neque cogitata omnino latent, nullo perinde ſcelere atq; impietate lædi, ſed ſapientiſsimus medicus remedia primũ adhibet (utinã eum imitati eſſemus) leuiora uulneribus, poſt etiam acriora quæ dolorem faciant, ad extremum, ſi malum ſerpat, adhibet ſcalpellum: quod facile docet nos illa Sodomorum miſerabilis urbs, quam ab imis eius fundamentis reuulſam demolitus eſt cæleſtis ignis; totamque penitus cum ciuibus inflammauit. Teſtis etiam illa eſt, quæ uniuerſum terrarum orbem inundauit, aquarum fœda proluuies: Nam cum totum humanum genus, excepto Noe cum bene paucis, impie ſentiret de Deo, ut ſpurciſsima committere facinora ac nefaria non uereretur, ſummus imperator Deus diu quidem uindictam, ſi forte reſipiſcerent, multis admonitionibus extraxit, ad extremum uero illa quadraginta dierum aquarum perpetua effuſio editiſsimos montes obruit, & omnes, illis dumtaxat exceptis, quos fabrefacta cepit arca, & in altum Armeniæ credo montem humano generi ſuperſtites expoſuit, mortales deleuit. Illis autem multo libentius tempus, ut ad bonam, ut dicitur, frugem ſe recipiant, elargitur Diuinus parens, quos uidet non tam deprauato conſilio & obſtinatione, quàm honeſti, ut uos, ignoratione peccare, quos tamen, ſi perſeuerare malint, quàm in uiam admoniti redire, nouiſsime ulciſcitur, & meritis afficit ſuppliciis: atque ob id etiam ipſum nobis cum proficiſceretur in ſedes paternas Vicarium reliquit, ut errantibus iter demonſtraret, peruicaces comprimeret, bonos complecteretur, ſanos foueret, curaret ægrotos: qua quidem in re cum eadem omnibus, qui poſt diuinum Petrum Chriſti apoſtolum creati ſunt Pontifices maximi, ſit ab eodem Chriſto domino tributa poteſtas, omneſque ea poteſtate & recte, & moderate utantur, tamen cum homines eſſe non deſinant, ſi quid humani interdum (illæſa fidei doctrina) admittant, non eſt ita mirandum. Hunc uero quem nunc ſuffragiis cunctis renuntiatum Pontificem uidemus,

Pium quintum, qualem ac quantum uirum eſſe arbitramini, quibus artibus inſtructum, quàm omnibus uirtutum ornamentis decoratum? Sunt profecto artes eximiæ in eo comites, adminiſtræque huius ſanctiſsimi eius Pontificatus, ac difficile quidem eſt animo comprehendere, aut minimam partem oratione narrare. Sed ita tamen exiſtimare debetis, nullum annos ab hinc multos Pontificem tanta uitæ innocentia, deinde omnibus in rebus tanta temperantia & fide, tanta felicitate, ingenio, & humanitate in ſuos præditum, tantisq; uirtutibus adornatum extitiſſe. Iam quantum conſilio, quantum ſacrarum literarum cognitione, quantum dicendi grauitate, & omnium literarum eruditione ualeat, omnes qui Romæ ſunt, aut quocumque eius fama peruaſit, cognouerunt. Itaque hunc quaſi non ex communi hominum genere omnes, ſed quaſi Diuum aliquem de cælo delapſum admirantur. Etenim ſic ab adoleſcentia uitam optimis artibus informauit ſuam, ſicque omnibus uirtutum ornamentis tanquàm ſeptis ſe undique muniuit, ut nullæ unquàm eum res aduerſæ de mentis tranquillitate deiicere, aut porro dimouere poſſent, aut proſperæ ad animi elationem excitare. Nunquàm enim illum cum nondum eſſet ad tantam dignitatem euectus (quanquàm fuit ille ſemper propter ſingulare eius ingenium, raram eruditionem, excellentem ſanctitatem nobilitatemque clariſſimus) auaritia ad aliquem indignum aliorum Pontificum famulatum abiecit, non libido ad uoluptatem, non crudelitas ad carnificinam, non largitio ad corrumpendum iudicia attraxit, non paupertas in fraudem induxit, non amplior deinde ſtatus ad delitias reuocauit, non denique hic nunc ampliſsimus dignitatis gradus à priſtina, ingenita, & ingenua facilitate & humanitate uel unguem latum immutauit. Atq; hic quidem uos, ut primum ſacra tyara indutus eſt, uocare cœpit, uos requirere, uos depoſcere, uos tanquàm amiſſas oues, ſed circumcirca balantes, deplorare, & omni etiam cura in eam cogitationem is nunc incumbit, ut uos ad ſe, ad Eccleſiæ ſinum & gremium attrahat. Quare cum parentem inclamantem audiatis, diutius illum fruſtra eſſe in expectatione ſinetis? Redite iam igitur in uiam, & Eccleſiæ Chriſti cauſam tandem aliquando ſuſcipite, ita tamen ut Luthero, Melanchoni, & eorum diſcipulis, nihilo quàm erat magiſter ſanctioribus, hanc peruellendi Eccleſiæ columnas poteſtatem non permittatis, ſi uidetis eos omni flagitio-

rum

rum genere imbutos, omni ſcelere contaminatos, in ueram ac germanam ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem improbe coniuraſſe: ſi facile cernitis, a Chriſto Domino nobis, ſi quando de religione inter nos diſſentiremus, concilium Antiſtitum & eccleſiam ſummi Pontificis accitu rite & ex more conuocatum iudicem eſſe relictum, præterea neminem. Nam Lutherum, cum ſemper is fuerit tum ab omni ſancta religione, tum a uirtute flagitioſe imparatus, neque ullo diuino inſtinctu cōcitum, ſua promulgaſſe decreta credendum eſt; neque præſagatione diuina, quem ipſum neque uirginali uerecundia tectum eſſe uidebatis contra libidinem, neque ſapientia contra perfidiam, neque ulla clementia præditum contra crudelitatem & ſæuitiam, niſi forte multa quæ fecit in ganeis & popinis magna & admiranda prodigia, uim eius diuinam, numēque declarant. Nam perfidioſi Mahumeti imitatorem ſingularem fuiſſe eum, & uitæ licentia, & ſolutioris uitæ decretis ſimilitudo earum rerum, quas uterque alter in Aſia, alter in Europa geſſit, facile indicat, niſi quòd malitia & fraude ſuum magiſtrum, nequàm quoque diſcipulus ſuperauit. Itaque eius, quoniam doloſiſsimus fuit, difficillime errata præcauebantur; ſed qui neque tectus ad alienos eſſe potuit, intimis multa ſcelerū aperuiſſe myſteria credendū eſt, quanquàm admirandū quoque ac pene incredibile eſt, huic mōſtro ex multis diuerſiſq; naturis cōflato, & ſubſcriptoribus eius a quoquàm fidē adhiberi, quorum rabies ipſum in ſummū Pontificē armauit, & ita amentes ferebātur ut multa & falſa ei affingerent, & ubique audaciter mentirentur, uos tamē illi quamuis tranquillitatis aliqua de poſſeſſione dimouerunt, non tamen funditus eiecerunt. Atque hinc illa ueſtros animos occupauit opinio, ut ueri inueſtigandi gratia, cum in utramque partē uacillaretis, iudices aſſumi oportere diceretis, atque hinc ille ad ſacroſanctum concilium ſæpe habitus ſermo, in quo iudices & ſequeſtros ad ſedandum controuerſiam poſcebatis. Sed enim eorum uobis authorum uanæ religionis, cum patefacta ſint ſcelerum & expreſſa ueſtigia, & ſuorum quoque dogmatum falſitas, quæ parum ubique firmamenti, parum uirium habet, explantata ſit, ac ſummum contrà Pontificem, uos amantiſſime ad ſeſe ac paterne uocantem, audiatis, accurrite iam tandem, uiri Principes, & eius uocatum, & ſuauiſsimam inuitationem anteuertite. Si obdormiſcitis, expergiſcimini: ſi ſtatis, ingredimini: ſi inceditis, currite: ſi curritis, aduolate:

late; ad eius uos non ſolum pedes,ſed ad mores, ſenſusque ſupplices abiicite,eius ſubſidium contra hos impoſtores, ueneficos, parricidas,ſacrilegos expetite,eius clementiam, uirtutem, ſapientiam implorate. O qua uos ille complectetur paterna charitate,qua munificentia fouebit? quot & quantis extraordinariis non ſolum auitis honoribus afficiet,quibus muneribus cumulabit?qua item uos iucunditate fruemini, quo gaudio triumphabitis? Parietes certe & ipſa Vrbis mœnia iam mihi lætari, ac quodammodo geſtire uidentur, non modo homines, huius diei iucundiſsima feſtiuitate. Neque uero cauſæ quid eſt,cur fidem aut priuati alicuius, aut publicam dari uobis poſtuletis: quanquam ſi placet, cauebitur uobis omni cautionis genere chirographis, factis ad tabulam nominibus,iuris etiam iurandi religione.Sed quid iſthuc uobis tandem opus eſt cum multos obſides habeatis, tum omnes chriſtianos Principes,omnes bonos, omnes ciues, tum Pontificis ipſius clementiam & beneuolentiam erga uos ſummam, tum etiam uero uel præcipuum obſidem, ueſtram, ſi errati pæniteat, ipſam conſcientiam, & animi propenſionem in ipſum Pontificem maximum, populumque Chriſtianum? Atque utinam ego is eſſem, quem uos obſidem pro omnibus dari poſceretis: nulla eſſet profecto mea recuſatio, nulla profecto eſſet in me mora. En ultro offerro me uel morti pro uobis, ſi uos hæc, ad quam uoco, fefellerit ſpes,cædite loris ueluti uile mancipium, latera uirgis tundite, ignes ardenteſque laminas, & omnes dolorum faces, & tormenta admouete: omnia intrepido ac grato animo, adiuuante Deo, ſufferam, omnia libenter ueſtra cauſa patiar, ad extremum ueſtris meas ceruices ſecuribus ſubiiciam, dummodo morte mea ſalus aliqua uobis, ac reipublicæ chriſtianæ pariatur. Sed ille nos hac cura,qui nihil non prudentiſsime exequitur, ſummus ipſe Pontifex liberabit. Quamobrem a Pontifice non modo nihil timere, ſed optima omnia,& maxima expectare debetis. Audebo etenim, ut dixi, obligare non ſolum fidem, ſed uitam quoque meam pro uobis Pontifici Romano, quod profecto cum nihil cogeret, facere non auderem, niſi ſummi ipſius Pontificis ſenſus, ampliſsimi collegii uoluntatem erga uos, Eccleſiæ matris dilectionem maximam in ciues,& pietatem bene cognitam haberem. Promitto igitur,recipio,ſpondeo, non uos modo a Romana Eccleſia benigne & honorifice recipiendos, ſed extraordinariis dignitatibus, maximis

ximis etiam honoribus,& laudis inſignibus decorandos eſſe. Neque id temere a me de illo,aut temporis gratia dictum putate: noui enim ſapientiam,noui clementiam,noui ſanctitatem. Credite mihi,qui uos ſingulariter obſecro, uiri Principes,& cum eo firmiſſimam, & cum ueſtro Imperatore inite contra impiorum potentiam ſocietatem: conſpirate ad authoritatem chriſtianæ religionis, maieſtatemque populi Chriſtiani ſuſtinendam. An uero cum turmæ (mitto ulteriora) ex parricidarum, ſicariorum, denique omnium facinoſorum colluuione ſuperiore anno collectæ,in Flandriam,in chriſtianæ urbis ciues irruptionem fecerint, delubra ſanctiſsimis religionibus conſecrata deturbauerint, ſanctiſsimarum feminarum, & uirorum,qui ſacris monaſteriis ſe continentiæ cauſa includi omne uitæ tempus poſtulatunt,clauſtra refregerint,Romanæ eccleſiæ obſeruantiſsimos ciues male tractauerint, multos expoliauerint, nonnullos occiderint, uoſque ſi non interfuiſtis, certe uidiſtis,neque tamen obſtitiſtis, ueros germanæ pietatis cultores dici uultis, aut plane uos eſſe putatis? & cum Dei cauſam inultam relinquatis, illum ueſtram acturum ſperatis? & cum eius Eccleſiæ, Martino Luthero, & Anabatiſtis, & aliis ex mendacio compoſitis hominibus maieſtatem ludibrio eſſe ſinatis, & uos leuiſsimis quibuſque, modo ſanis, ludibrio læſum iri non timetis? Quæ nam iſta (malum) faſcinatio eſt, an dicam infatuatio? quis Aeſculapius plane,aut Podalyrius potentibus herbarum ſuccis uobis medeatur? quid agendum, quod numen, ut opem ferat, implorandum? Ille ſcilicet, ille mitiſsimus Ieſus, quem ſolum poſſe, & non nolle ſcimus, dies nobis ac noctes inuocandus eſt, qui malis noſtris condoleſcit,qui uicem noſtram(humanis loquor uerbis,cum diuina non ſuccurrant) ualde dolet,qui ærumnas noſtras facile miſeratur, hunc igitur imploremus, qui ruentibus,uel iam lapſis potius Germanorum rebus dexteram ſuam porrigat, qui collapſa ſarta tecta reſtituat, qui uenenatum telũ ex uiſceribus extrahat, qui uulnera curet, ſordes abluat, & integram ſanitatem, uireſque reſtituat. Quod ipſum quo facilius ab eo impetrare poſſitis, Lutherum, ipſiuſque Lutheri nomen, eius diſcipulos, libros, aſſeclas, ſubſcriptores, omneſque qui nouas in Rempublicam,& impias religiones introduxerunt, a ueſtris priuatis ædibus, ab urbium ueſtrarum mœnibus, a clariſſimo huius Imperii domicilio arcete. Deinde uos omnes (felix qui primus non expectato

pectato exemplo, aut fide publica aduolarit) omnes ad ſummum Pontificem, ipſius Chriſti Redemptoris noſtri Vicarium, accurrite. Quid uos in hanc fucatæ & perſonatæ impietatis perſuaſionem induxerit, ei aperite, cordis penetralia reſerate. Veſter ſolus hic animus, & hæc in Eccleſiam propenſa & explicata uoluntas cum ec uos facile reducet, reconciliabit, reſtituet in gratiam. Quòd ſi me impulſore & admonitore, uiri Principes, feceritis atque ad eam laudem, quà ne maior quidem in terris excogitari poteſt, & gloriam aſpiraueritis, quid dicam? quid faciam? quo me a uobis beneficio obſtrictum eſſe prædicem? quo uos ego ſatis digno pro tantis meritis ueſtris in me proſequar officio, & pietate? Sed forte contra quàm uos decet, & præter omnium bonorum opinionem, ſi (quod Deus auertat) adhuc implicari in iſtis ueteratoriis legibus, & ad opinionem imperitorum fictis pertinaciter hærere uultis, hæc profecto, hæc tanta Germaniæ Prouincia, lux orbis terrarũ, arx quondã omniũ gentium, Imperii domicilium, ex Eccleſiæ Chriſti ſocietate in perpetuum expelletur, exterminabitur, eiicietur. Sed ò me miſerum, mé infelicem, à uera catholicæ pietatis & fidei unione uos Lutherus fictæ, & omnino falſæ religionis ſimulacris tanquàm ſpectris oculos ueſtros feriendo, excludere potuit: ego uos in Eccleſiam catholicam, oblata luce ueritatis, reducere non potero? Ille uos in fraudem, in uitæ periculum, in deſperationem impulit: ego uos à dolo malo ad fidem ſeruandã, a morte ad uitam, a deſperatione ad ſpem non reuocabo? Illum, qui uos male oderat, uobis dare uerba facile paſſi eſtis: me me, qui uos uni ce diligo, optima & ſalutaria conſulere non patiemini? Illi uos ita credulos præbuiſtis homini mendaci, cui nec uerum quidem credere debebatis, mihi ſi nihil aliud, certe ueræ pietatis cultori, uera dicenti, non credetis? Sed uos diuini Cælites, qui pro ſummi Dei honore, pro ueſtris gloriæ ſedibus cum ſuperbiſſimis angelis fortiter dimicauiſtis, & in perpetua eos noctis ergaſtula, & ſceleratorum ſedes impias detruſiſtis, uoſque Diui homines, quorum ſanguine ſecundum Chriſtum maxime tanquàm columnis hoc firmiſſime fulcitur Romanæ Eccleſiæ fundamentum, omnes imploro & obteſtor, ut hós Germaniæ Principes, Martini Lutheri, & diſcipulorum eius mendaciis de ueritatis poſſeſſione deturbatos, in ueram Chriſti religionem, & ueræ pietatis Eccleſiam, & in priſtinam maiorum ſuorum, & ſuam dignitatem ad reſtituen-

ANTONII CACERIS PATIECI

AD POPVLVM GERMANVM ORATIO QVARTA.

ETSI errare ac decipi, nobiliſſimi Germani, cuiusuis hominis eſt, perſeuerare profecto in errore non eſt niſi aut inſipientis, aut eius qui cum labi ſe uideat, obſtinationis ſuæ propoſitum uelit ipſi ueritati longe anteponere: quorum primum etſi culpa non caret inſipientiæ, alterum tamen eſt maiore dignum odio, & grauiore pœna uindicandum. Etenim omnium hominum conſenſum parui ducere, Diuorum ſententias contemnere, contra honeſtatem, uirtutem, ueritatem aperte coniurare, hoc qui faciat, non ego eum cum ſtolidiſſimis hominibus comparo, ſed ipſis ſimillimum feris iudico: contrà, qui à recto declinans, in uiam malit redire expergefactus a ſomno, quàm temere longius aberrare, & laudare nos oportet eum, & errati ueniam petenti concedere non inuitos. Quare multorum nequeo ſatis eorum, qui decepti ſunt ab huius ætatis hæreſiarchis, imprudentiam admirari, qui putent, ſi ad clementiam Eccleſiæ Romanæ confugerint, ſi errati ueniam petierint, nõ eſſe benigne ſe atque læte recipiendos. Quænam hæc ueſtros tã agreſtis & barbara animos occupauit opinio? Quandiu a matre uobis timendum ducitis? quæ cuiuſmodicumque illa eſſet, tamen filios ſupplices non repudiaret. At quid illa faciet clemẽtiſſima cum ſit, & maxime liberalis, cum ueſtro non ſecus ac uos, immo uero etiam tenerius incommodo doleat, & mœrore afficiatur? cum denique nihil aliud dies noctesque ſedula curet, quàm ut uos in ſuum gremiũ congregatos ad ſe reducat, quàm ut uulnera nobis ſanet, cicatrices deleat, dolorem abſtergat, honores decernat, alacritatemque reſtituat? Ergo tam quiſquã aut abiecte timidius eſt, aut rerum omnium ignarus, ut eius matris ubera reformidet, cuius ſit in prima infantia dulciſsimo lacte nutritus, &

blande,ac ſumma cum indulgentia educatus? Neminem arbitror tam ex uobis eſſe aut libidine obcæcatum,aut iſtorum magiſtrorũ ueneficiis de mente & ſanitate deturbatum, quem non conſciẽtiæ ſolicitudo,& intimus animi ardor crebro ſtimulet,deque mutandã ſententia quotidie uehemẽter admoneat:ſed partim pœnæ metu,quam ſibi deberi uident,perterriti,partim hominum more, dũ quiſque,quam ſemel approbauit,ſententiam quo iure,quaque iniuria ſuſtinere uult,opinionibus improbis implicati in luto hæretis & in cœno. Sed tanta non eſt uis improbitatis, ut cõtra ius perpetuo ualeat, æquitatemque & religionem ut impugnare & affligere poſsit,poſsit euertere. Quare iã iã cito futurũ auguror,ut hæc ipſa tam ferox & inſana Lutheri (ne ſit opus cæterorum legumlatorum,qui hoc tempore ſunt exorti, nomina pene innumerabilia toties nominare,unum Lutherum pro omnibus appello)impietas, quæ inſolẽter apud multos ac temere dominata eſt,ueritatis ui oppreſſa ruat,ſuiſque indies ſordibus obſoleſcat. Sed,o illos perbeatos,ac planè felices,qui non expectantes aliorum exemplum, primi iſtinc exploſa prauitate impiorum aduolauerint in ſanctam ciuitatem. Nam ut is qui a ſuo Imperatore transfuga primus ad hoſtes defecerit,& priuati criminis pœna, quod ipſe deliquerit, & maiore etiam ac publico ſupplicio quodam dignus eſt,quod exẽplo quoque ſuo alios in eandem turpitudinem ac dedecus concitauit:ita qui improborum hoſtium caſtra, ubi deceptus & illuſus tenebatur,primus dereliquit, legitimique Imperatoris uexillũ repetit,multoſque ſecum milites redire facit,is magno quodam honoris ac gloriæ eſt profecto ſplendore decorãdus:quod uos aut ipſos facturos omnes,redituroſque in Romanæ Eccleſiæ caſtra breui ſpero,nobiliſsimi Germani:aut ſi omnes non,illos certe qui malint ueritatem quàm mendacium, religionem puram quàm infuſcatam ſectam,ſuum uerum Imperatorem Pontificem maximum, quàm Lutherum tyrannum,ac prædonem reipub.ſingularẽ ſequi. Sed qm̃ huius,ac cæterorũ qui in ferẽdis ſuis ſeditioſis, & reſcindẽdis Eccleſiæ ſãctæ legibus principes extitere,falſa dogmata, & fallacia argumẽta alias ſatis,ut puto,ſingillatim refutauimus:nũc tantũ dicam de uita & moribus horum legumlatorum qui uos ſeduxerunt,de incredibili eorum odio in bonos, de ſtudio perturbandæ ſalutiscommunis atque otii, eniţarque profecto,ut in hac confuſa atque uniuerſa oppugnatione nihil a me, quod ad ueſtras rationes,nihil quod ad honorem,quod ad remp.pertinet,requiratis. Quare uos in primis oro & obteſtor,ut excutiatis hanc animorum

nebulam dicam, an caliginem? quæ uos impedit, meque attente audiatis, dum ea quæ uobis ad uitæ tranquillitatem utilia, ad honorem accommodatiſsima, ad conſtituendam remp. multis incō modis uexatam neceſſaria fore puto, breuiter ediſſero. Quē ſequamini erroris ueſtri ducem, uidetis. Non certe Moſen uirum cum omni ſanctitate uitæ præditum, tum clementia præcellentē, & māſuetudine inter ſuos ſingulari. Non Iob, cuius admiranda in tolerandis calamitatibus & erumnis patientia, memoriæ ad poſteritatem cauſa exempli prodita eſt. Non Chriſtū Ieſum, cuius tota uita, ut reliquas omittam innumerabiles eius admirandaſque uirtutes, fuit in cōponendis ſeditionibus, in reconciliandis diſſentientibus, tollendis iniuriis, leniendis iratorum hominum animis, in omni denique pacis conſtituendæ ratione ac munere occupata. Quem igitur? Martinum Lutherū, cuius inter cæteras animi labes una ſic eminuit ſanguinaria crudelitas, ut tunc ſe moleſtam agere uitam præ ſe ferret, cum nulla cruenta bella, nullas turbulentas ſeditiones, nullos exitiales tumultus in republica concitaret: atque nihil aliud cum dies noctéſque meditaretur & ageret, tantum inter ciues incendium in Germania excitauit, ut triginta hominum millia, aut etiam amplius ſint intra paucos annos multis & uariis prælijs deſiderata: tantum uero dolo & fraude ualebat, ut nullum umquàm quantumuis ingenioſum hominem & perſpicacem, modo ſimplicem ac rectum circumueniret, quem non facile ſeduxerit. Multa narrare poſſem ueteratoria eius & improba facta, ſed moderabor ipſe orationi meæ, ut nullum a me ei crimen affictum, ſed multa & intoleranda prætermiſſa taciti apud uos ipſi intelligatis. Vnum igitur eius nobile factum tantum dicam in Germania omnibus notum, ſed execrabile ubique exemplum, fraudis plenum & nequitiæ. Cum primum magnus hic nouæ religionis author acerbiſsimo odio in Pontificem Maximum nulla de cauſa inflammatus, furere, & permiſcere rempub cœpit, a ſummo illo, neque umquàm ſatis laudato Imperatore Carolo quinto ad magnum conuentum, quē per id tēpus Ratiſbonæ agebat, eſt per literas fide publica interpoſita uocatus: ſed is niſi electorū (ſic.n. appellant, qui in creādo Imperatore ſuffragiorū ferēdorū habent ius) data fide nō eſſe ſe uenturū reſpōdit. Datur, ſed ea lege ut intra Imperij limites neq; quidpiā ſcribere, aut oīno concionari audeat. Mitto ꝗ ille hoc, quod ei erat præſcriptū, ſpreuerit, ꝗ ſuis, ſuorūq; nefariis concionibus oēs domos, & angulos repleuerit, ꝗ

etiam

etiam ſcripta ſua contra Eccleſiam Romanam inſolenter diuulgauerit, quàm multos in perniciem ſuam traxerit. Omnia iſta, quæ cum indigniſſima ſunt, tum eum ipſum facile conuincunt audaciæ, temeritatis, & perfidiæ, prætermitto. Ratisbonam uenit, in ſummorum hominum conuentu (uidete hominis intolerandam audaciam) de Pontificia poteſtate tantum impius oratione ſua decerpſit, ut eam cæteris presbyteris coæquaret: Imperatori tantum attribuit, ut uel in Vicarium Chriſti animaduertendi ei poteſtatem dedat. Altero die ab illis ſummis tunc & præſtantiſsimis in omni genere laudis principibus, & ab ipſo Imperatore amice admonetur ut ſibi tẽperet, noua ne moliatur, Pontifici maximo, cui omnes obtemperare & more maiorum, & diuino iure tenerentur, ne ſolus ipſe inſolẽter, ac nihilo plus quàm cæteri aut literis cultior, aut acrior ingenio, aut uita ſanctior detrahere auderet. Si mutaret ſententiam, ſi quieſcere uellet, per eos ipſos Pontifici eum ualde commendatum iri, ueniam ei facile impetraturos. Sin pergat, eũ ſperet ſeſe exitum manere, qui Vuicleffum, qui Arrium, qui cæteros manſit hoſtes Eccleſiæ. Ille uero his auditis non ſalutato Imperatore, non cæteris Principibus, non hoſpite, noctu clam infeſtus & exacerbatus ut leo, cui præda ſit erepta de manibus, diſceſſit: cumque poſtridie eius diei in quodam oppido eiuſdem ditionis ad menſam diſcumberet apud hoſpitem, magna cum uoluptate ſe cum ſuis uenereis aſſeclis ad libitum ingurgitabat. Et ecce de repente improuiſus armorum fragor & ſonitus domum ipſam, & oppidum oppleuit. Adſunt milites Lutherum inclamantes: arripiunt hominem, & atrociſſime (ut uidebatur) laqueis conſtringunt, & quaſi trucidandum ſubito deportant. Ille uero miſer pallido ore, perturbatus & exanimatus hæc ipſa uix uerba ſæpe repetebat: *Siccine ſeruatur fides? Hæc Imperatoria uirtus? Cui deinceps credendum?* Tunc uero ſublato magiſtro, diſcipulorum omnia perſonabant uocibus ebriorum, implorabant fidem electorum, Imperatorẽ quaſi eius criminis conſcium, & authorem compellabant, Si hoc Imperatoris iuſſu factum eſſet, ſi tam importunam belluam erigentem ſeſe iam, ac reipub. chriſtianæ minitantem de toto terrarum orbe tollendã curaſſet, quis ei probro, uel quis potius ſingulari ac ſummæ laudi dandum ei non duceret? præſertim cum Lutherus conditionem in data fide adſcriptam de non concionando non ſeruauerit? Sed is Imperator qui chriſtianum hominem, & rectum (ut putabat) Lutherum ex ingenio ſuo exiſtimabat, qui ad bonam mentem

tem actutum rediturum credebat, qui electorum optimorum Principum, & ſibi neceſſitudine & ſanguine coniunctiſſimorum fidem Luthero datam eſſe ſciebat, noluit eum non dico ita ad necem per inſidias arripi, ſed ne uel digito quidem uiolari. Video uos iã hic tacitos cogitare, & cum animis ueſtris à me requirere. Quis tantum hoc igitur, & tam reipub. ſalutare ſuſcepit, ac nobis peregit opus? Vtinam peractum eſſet: non ita nunc laboraremus. Nũ putatis Carolum Imperatorem? credo non. Num ex ſuffragatoribus quemquàm? nihil minus. Forte Chriſti ac Romanæ Eccleſiæ bonũ aliquem ciuem? neque id quidem. Quis igitur hominem impurum, arrogantem, crudelem, impium, omnibus bonis inimicum, omnibus improbis ſocium, omni ſcelere & flagitio coopertum arripuit Lutherum & alligauit? Lutherus. Quid admiramini, quid expaueſcitis? ipſe Lutherus, ipſemet inquàm Lutherus ſe ab ſuorum conſpectu religatum, & tanquàm dilaniandum proripi fecit. Attendite, quæſo, & uidete non dæmoniaci hominis, ſed ipſius plane Megæræ, aut Thiſyphones fallaciſſimum inuentum. Magna ſe excitaturum putauit inter electores & Imperatorem bellorum incendia, ſi hoc facto ſuo probaret datam ſibi Electorum fidem, fractam per Imperatorem & uiolatam fuiſſe, per quã fidem cautum ſibi eſſet, ut libere ad illum ampliſſimum conuentum accedere tutò poſſet, & redire. Hoc itaque inuento memorabili arbitratus eſt homo callidiſſimus magnam ſe iniecturum ſuſpitionem, ac potius Germanis omnibus fidem ſe maximam omnino facturum, Imperatoris ſe iuſſu ad necem arreptum eſſe per inſidias, fidemq; in eo totius Imperii claudicaſſe: quod ſane parum propemodũ abfuit ut ſit conſecutum. Nam diſcipuli eius, ubi Ratiſbonam ſunt iterum appulſi, flentes ac quærentes, & electorum fidem implorantes, multi eorum uocibus commoti in eam opinionem diſceſſere, ut crederent rem per Imperatoris milites geſtam eſſe Imperatoris iuſſu & uoluntate, Quod ubi ille reſciuit, quanquàm erat tunc adoleſcens, ac pene potius puer (uix enim decimum ſeptimum agebat annum) ſed animi iam maturitate, ac diuina plane uirtute uir, mittit actutũ ex ſuis, qui rem ſedulo indagent, & ad ſeſe quàm primum deferant. Abeunt, inquirunt, multa oberrant oppida, tandem reperiunt Lutherum apud ueterem hoſpitem familiarem ganeonem, cum ſuis militibus in gurguſtio incluſum, ac ibi tamẽ perpotationibus incumbentem, ac ſic plane exultantem, quòd talem telam eſſet exorſus, quam non facile periti iam artifices retexerent. Apprehenduntur eius milites, cõiiciuntur in uincula, ad-

hibetur

hibetur quæſtio, res facile palàm fit. Aiunt enim, omnes ſeſe ab eodem ipſo Luthero clam ſuis diſcipulis, quos etiam hoc pulcherrimum facinus celatos uoluit, mercede conductos eſſe, ut eum tãquàm mactandum è conſpectu tollerent, quod illi fecerunt. O callіditatem peruerſam, malitiamq; inauditam & intolerandam, ſe ipſum prodidiſſe, ut Imperatorem in ſuſpitionẽ uiolatæ fidei apud imperitam plebem uocaret; quod tamen ipſum, ubi non cecidiſſe uidet ex animi ſui ſententia; ſed detecta fraude omnibus ſe improbum, & ſceleratum uideri, alia rem aggreditur uia. In ſcriptis & concionibus ſuis ſummam in plebem epiſcopis poteſtatem, plebi econtra in epiſcopos omnem largitur libertatem. Optimates uero, & in repub. principes uiros omni decumarum ſoluendarum cura, omni parendi Pontifici max. aut epiſcopis, religione liberat. Ita regendi ratione, & perturbata republi. dum omnes dominari cupiunt, ſeruire nemo, tot tumultus excitati ſunt, & tam infeſta bella orta, ut præterquàm quòd in præliis innumerabiles uiri ceciderunt, prouincia inſuper uaſtata ſit, urbes direptæ, domus exinanitæ, templa compilata, Diuorum imagines ſublatæ, omnia ſacra polluta & uiolata: atque cum id ſe authore geri negare Lutherus non poſſet, exemplo Chriſti (quod nefas dictu eſt) ſe & authoritate facere auſus eſt ſacrilegus dicere: quoniam Chriſtus ait. *Nolite arbitrari, quia uenerim pacem mittere in terram: non ueni pacem mittere, ſed gladium*. Sed impietas Lutheri hæc tanta eſt, ut perpetuum apud inferos & grauiſsimum ſupplicium mereatur: grauior eſt, quàm ut per homines uindicari poſſit, ſtultior autem quàm ut debeat refelli. Chriſtum, Impie, tu arguis bella commouiſſe, cuius ſemper fuit proprium concitata ſedare? ita ne impudenti auſu affirmas eundẽ Chriſtum Ieſum ut neque Imperatori uectigalia, & Deo, ideſt, ſibi ipſi ne decumæ ſoluerentur iuſſiſſe, cum ille a ſe quærentibus reſpõderit, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo? Denique tumultus eum excitaſſe ais? inimicitias inter ciues incẽdiſſe? cum ſemper is excitatas non ſolum doctrina ſua, & admirabili uitæ exemplo extinxerit, ſed etiam inter ſe diſſentientes inimicos ad amicitiam lenitudinemq; traduxerit. Diſcipulis autẽ ſuis, cùm iam ad patrem cogitaret, *Pacem*, inquit, *meam do uobis, pacem relinquo uobis*. Sed hic bonus Mahumeti diſcipulus parum ſe profeciſſe putat, niſi ſuis prodigioſis decretis magiſtri famam inobſcurarit: quanquàm de ſumma Chriſti ſapientia, potentia, bonitate cùm agitur, neque Mahumetus ipſe aliquid minus honeſtum, aut rectum admiſcendum putauit. Quid igitur confingi plane, aut co-

gitari

gitari potuit hoc ipſo Lutheri dicto ad ſanctitatem, quam ſimula-
bat, turpius, ad dignitatem ineptius, a religione alienius, ab utilita
te ſua ſuorumq; remotius. Itaque profecto inutile ſtatuo, ac pla-
ne homine cordato indignum, huius doloſi, audacis, impii non
hominis, ſed potius monſtri in amicitia eſſe. Nam qui tot in rem-
pub. mala inuexit, & tantam ubique calamitatem ſecum apporta
uit, & qui de Chriſto Deo optimo & maximo ita perditiſsime lo-
quatur, ut eius nomine & uerbis ſua flagitia ſcelerata uelit præte-
xere, poterit cuiquàm bono eſſe? Enimuero ſi exitioſa peſtis affer-
re cuiquàm ſalutem poteſt, quæ uitam adimit, poterit quoque ſalu
taris eſſe Lutherus, qui non modo uitam, ſed omne decus & beatæ
uitæ ſpem ſuis ſectatoribus eripit. Etenim ſi is ſanctus tam uere eſ-
ſet, ut uideri optabat, ac tamen ne tot bella excitarentur in Germa
nia ſua cauſa ipſe ſe non in ultimas orbis regiones abderet, non di
co, eum ſanctum non dicerem, ſed plane ſceleratum, & improbũ
putarem. Nunc uero cum is ea ſit bella & cruenta prælia molitus,
cum is pacis aſſertor ſcilicet & imitator Chriſti, exercitum armis,
& galea conſpicuus ductauerit, ſcelus anhelans, furens audacia,
patriæ minitans interitum, non eum nefarium hoſtem, immanem
belluã, orbis calamitatem, & uaſtitatem potius quàm eſſe hominẽ
reputabimus? nõ ſæuientẽ ipſum, ſi extinguere non poſſumus, tan
quàm incẽſũ ignẽ & ſerpentẽ magna cũ celeritate fugiemus? Neq;
uero quẽquàm arbitror aut tã procul a Germania remotũ eſſe, aut
tã in rebus publicis obdormientẽ & ignarũ, qui neſcius ſit cruentiſ
ſimorũ præliorum, & maximarũ calamitatum authorẽ & cãm fuiſſe
Lutherũ. Et cum uerum illud ſit, neſcio a quo ſapienter profecto di
ctum, Cõcordia paruas res creſcere, diſcordia maximas dilabi: erit
quiſquàm tã inſigniter ſtultus, qui huius ſeditioſiſsimi, & turbulẽ-
tiſſimi ciuis ſocietate ſe putet fore quietum? Agedum, huic trade te
in amicitiã & in diſciplinã, nõ equidẽ ita amplas poſſeſſiones, aut
diuitias habere potes, quas hic helluo ac gurges paucorũ dierum
perpotationibus nõ poſſit abſorbere. Nõ filias tã ſancte ac pudice
educatas, tã uirginali pudicitia ſeptas atq; munitas, quas nõ hic tur
piſsimus leno impuritate ſua polluere atq; uitiare poſsit. Nõ deniq;
liberos ita bona indole, & optimis moribus adornatos, quos nõ ad
oẽ dedecus, ad oẽm turpitudinẽ, Sybariticarũ hic legũlator flectat
atq; traducat. Ergo ſalutaris ab eo erit profecto fuga, cum quo tã exi
tialis futura ẽ ſocietas & amicitia: quãquàm nõ tã ſocietatẽ cũ iſto
cõflatã, amicitiã, quàm factionẽ teterrimã, & malorum ciuium cõ-
iurationẽ appellare debemus. Cũ.n. amicitia ſancta quædã res ſit,

& una inter cæteras præclara uirtus, homines inter ſe ad Dei cultum, & humanarum rerum communionem ſuauiter congregans, atque concilians, qui cum Luthero ſocietatem coierit, non intemperato, ſed impuriſſimo lenone: non ſacrilego, ſed hoſte ſacrorū omnium & religionum: non inimico, ſed carnifice crudeliſſimo ſociorum, quem expectare poterit ab eo fructum, aut commoditatem amicitiæ? Vidiſtis eius, & perpeſſi eſtis plerique ueſtrum crudeliſſimam tyrannidem. Diſcipulos uero atque æmulos, qui ſubſecuti ſunt eum, non multo plus moderatiores, aut ſanctiores nūc experimini. Omnia dogmata ſua commentitia & falſa conferunt ad potentiam obtinendam, ad cumulandam pecuniam, ad amplificandas diuitias, omnes ſuas leges dirigunt ad fruendas uoluptates, ad conuellendam & euertendam rempub. Nam quo alio ſpectant huius authoris, & æmulorum eius facta & dicta, niſi ut ſummam in omni libidine & maleficio impunitatem, & ad regnū appetendum etiam poteſtatem per uos adipiſcantur? Sed de regno uos uideritis, neq; profecto ſi ſapitis, patiemini iſtos machinatores ſua expromere adhuc occultata & explicare conſilia: ad eorū libidines inſatiabiles redeo, quas quidem omnibus uiis, neq; iis quidem uſitatis quæri ab ipſis & uſurpari uideo. Nam quid aliud ſibi uult illa uirginum Deo dicatarum aſportatio? quid templorū expoliatio? quid uotorum Deo, & Diuis nuncupatorum uiolatio? quid Diuorum contemptio? quid parentandi mortuis neglectio? quid ſalutiferæ confeſſionis irriſio? quid inquàm aliud hæc ſibi uolunt? quid appetunt? quid flagitant? quid loquuntur, niſi uitam otioſam, liberam curis, ſolutam legibus, abundantem diuitiis, uoluptatibus plenam? Quod ne forte, ſi quis ei uitio uerteret, negare poſſet, ita eſſe palam fecit cum multis inſignibus ſuis facinoribus, tum etiam illo ſingulari & noto, quod feminam Deo nuncupato uoto conſecratam in matrimonio, ut ille dicebat, re uera ab ſacelo abreptam in concubinæ loco ſacrilege habuit. Quas qui dē ille idētidem aiebat, quod uirginem captiuā ab ergaſtulo abduxiſſet, & tāquàm redemiſſet, Deo gratiſſimas fore nuptias Neque uidebat miſer, eas nuptias eſſe non poſſe, quæ nō ſacramenti dignitate erāt, ſed ſceleris ſocietate cōiūctæ. Sed quid agimus demortui facinora, quod eſſet certe infinitū, recenſere? qui conuenit? cū præſertim eius aſſertores & diſcipuli aliorū ſuper alia ſcelerū nouitate, magiſtri memoriā prope deleuerint: & tū, ſi ſuperis placet, non uerentur nobis chriſtianā ueritatē opponere, uerā pietatē uerbis inculcare, & ſanctitatē a nobis tāquàm ſpretā obiicere, neq; porro dubitant

bitant ſe ſanctos,ſe pios,ſe ſolos uere chriſtianos appellare. Si hoc aũt eſt eſſe ſanctum, cur Epicurũ oẽs ſapientes,cur Sardanapalũ, cur hos non mõ ſecutum,ſed augendis ẽt fœdiſſimis uoluptatibus antegreſſum Mahumetũ,impietatis cõdemnauerunt? Si hoc,quod uos tanta cum diſſolutione facitis, laudabile eſt,cur tam apud oẽs bonos & ſapientes Socratis uita continenter acta in pretio eſt? Cur Ioãnis Baptiſtæ eximia illa abſtinentia,& pecuniæ, ac oĩum rerum humanarum contemptio,duraq; in ægeſtate & ſolitudine uita tantopere cõmendatur?Cur Chriſti labores,angores,tormẽta, ſupplicia,crux denique ipſa magnis elogiis ẽt a chriſtianæ pietatis hoſtibus celebratur? Quod ſi hæc optima,ſi abſtinentia laudabilis,ſi cõtinentia,ſi patiẽtia famis & frigoris,& inopiæ rerum omniũ ſancta & frugifera eſt, cur Lutherum authorem uitæ delicatæ, doctorẽ libidinis effrænatæ,fontẽ ſuperbiæ atq; arrogantiæ incredibilis,non ſolum fugiamus,ſed uel nomẽ etiã ipſum a republica deteſtemur? Etenim ſi fons hic exitialis eſt, qui poterunt riui ex eo fluentes nõ eſſe peſtiferi? Si Lutherus peſtilẽs,Melãcthon profecto pariter erit funeſtus,atque eo quoque modo Zuinglius, Bucerus, Caluinus, & reliqui oẽs riuuli ab eodem ipſo capite uenenato deriuati & ducti. Quare ad ſalientem dulciſsimæ aquæ fontem Eccleſiam redeamus: ibi licebit ſaluberrimam aquam bibere,& quaſi diuturnã ſitim explere, animumq; gaudio uero & lætitia incredibili cumulare. Et quoniã quàm utilis hic futurus ſit nobis author diximus, ad honorem tranſeamus. Ac primum Imperatores ueſtri, in primisq; inuictiſsimus Cæſar Carolus,qui modo uita perfunctus, ut par eſt credere, in ſupernas illas beatorum ſedes euolauit, & qui poſt eum Imperii habenas moderatus eſt frater eius germanus feliciſsimus & optimus Ferdinandus,ambo Eccleſiæ Romanæ addicti,& obtemperantes fuerunt.Hic aũt,quem nunc propter res feliciſsime geſtas,propter ſingularem pietatem non ſolum amamus, ſed uel ẽt admiramur,Maximilianus Ferdinandi filius, Caroli nepos,ab huius Romanæ Eccleſiæ placitis non ſibi uel unguem, ut dicitur, latum diſcedendum putat. Cum igitur hi tres nobiliſsimi,ſapiẽtiſsimi,inuictiſsimi Imperatores Eccleſiæ addicti oẽs fuerint,& huic uni ita ancillati,ut eius ſemper monitis obtẽperandũ, & ſtãdũ præceptis ſibi duxerint,quid uos facere oporteat exiſtimate,quibus ab Imperatoribus ueſtris neq; integrũ eſt,neq; licitũ,honore ſaluo,præſertim ſapiẽtiſsimis & optimis diſſentire. Et cũ nemo ſit,qui nõ laudis amore ducatur,oderitq; dedec⁹& ignominiã, mirum eſt cur uos omnium hominum clamore & uocibus non

commoueamini. Nam cum hominum iure ſancitum ſit, ut qui Imperatoris uexillum & caſtra dereliquerit, deſertoris nomine, & perfidiæ macula inuratur, & omne ius ciuis, & omnia ornamenta honoris, omnia inſignia dignitatis, ſi quæ habet, amittat, qui Imperatoris ſanctiſſimi & nobiliſſimi non uexillum, ſed (graue dictu) religionem, & fidei ſanctitatem deſeri, qui a præſtantiſſimo duce ſuo ad Lutherum, & reliquos perfidos ueræ religionis & reipublicæ hoſtes deficit, quæ ſatis ei digna nota inuretur ad ignominiam nominis ſempiternam? Immo uero ſi (ut dicunt ſapientes) pietas nonnumquàm ſolo uultu læditur, qui parentem Eccleſiam non uultu & uoce, ſed maledictis lacerat, & contumeliis acerbis inſectatur, quantũ huic dedecus hærebit, & quanta turpitudinis infamia? Mitto quod uos legibus, ac humano & diuino iure ſupplicium maneat, de honore nunc tantum diſputo. Omnes ſapientes, omnes boni & temperantes ciues aditum, ſermonem, congreſſumque ueſtrum fugiunt: & cum uos (liceat uerum effari) ſceleratos & ĩpios, tũ deſertores & transfugas appellant. Sed iniuria dicis, non ita ſanctisſimis uiris, & literarum ſplendore ornatisſimis uideretur, Auguſtino, Hieronymo, Damaſceno, Baſilio, Chryſoſtomo, ſi reuiuiſcerent, etſi cauſam hanc ueſtram apud uos eſſent cognituri. Neque ita nunc ex noſtris, qui ad ſanctitatem uitæ literarum adiumenta adiunxerunt, arbitrantur, & iudicant. Sed id nunc iure ne, an iniuria fiat, nón ago: hoc tantum dico, ſi me ciues mei ita odiſſent, ut uos Pannones, Vngari, Itali, Galli, Hiſpani Luſitani oderunt, & execrantur oẽs, domum meam & patriã & uero etiam regnum ipſum mihi relinquendum putarem, atque ultimas orbis regiones petendas ducerem, quo me ab hominum congreſſu, colloquio, conſpectu priuarem. At uos tam non commouemini, ut non modo ad honorem ueſtrum nihil pertinere arbitremini, ſed eo ipſo inſolentiores, & audaciores efficiamini. Sed ueſtris non placet idemtidem theologis Romanæ Eccleſiæ pietas. At placuit Diuo Hieronymo, ut eum primum nominem, cuius ſingularis eloquentia ſapientiæ pene fuit par, ſapientia cæteros ſui temporis omnes longo quidem interuallo ſuperauit. Nam de uitæ ſanctitate eius, qua proxime ad Chriſti Apoſtolos acceſſit, cum omnibus ſit notum, dicere me non eſt opus. Placuit Auguſtino, cuius admiranda eruditio complures hæreticos & dicendi uiribus, & literarum armis ualde pugnantes diſcusſit. Placuit Gregorio, qui & ipſe fuit Pontifex, & magna doctrina, magniſque prodigiis editis clarus. Placuit Ambroſio, qui uitæ exem-

plo, & eruditione recondita permultos ab Arrii inſania, atque inter hos Auguſtinum etiam ad uerum Eccleſiæ cultum pietatemque traduxit. Placuit Thomæ ex ſodalitate D. Dominici diuino doctori, ac prope dixerim flagello hæreticorum. Placuit Ioanni Huns Scoto uiro accerrimi ingenii, & in diſputando ſubtili, qui eo ipſo quod iſta ueſtra tam ſancta decreta non uidit, nihil uos uidiſſe profecto præuidit. Placuit Anſelmo qui cum Britannos ſuos dum uixit, ab omni hæreticorum labe liberos diuina uirtute, & ſingulari doctrina ſeruauerit: nunc eoſdem ſi reuiuiſcat, tot inflictis uulneribus, tot acceptis plagis deformatos non agnoſcat. Sed quid ſingulos commemoro? tot Imperatoribus, Regibus, uiris Principibus, tot optimatibus, tot doctoribus, ſapientibus, tot nationibus, ac gentibus Eccleſiæ catholicæ fides ac pietas placuit, ut qui nunc diſſentiant, præ illis pauciſſimorum & audaciſſimorum inſtar haberi uideantur. Sed tu tamen eruditior ſcilicet quàm Thomas, prudentior quàm Gregorius, abundantior conſilio, ingenio, ſapientia quàm Hieronymus, maturior ætate, cultior doctrina, ſanctior uita quàm Auguſtinus, ea reſcindis, quæ illi idiotæ (ut tu appellas) ut optima & præclara ſanxerunt? Sed qui hoſce ipſos antiſtites religionis & ſacrorum omniũ tamquàm impios & bardos irridetis, æquales noſtros Caſtrum, Thomam Morum, Epiſcopum Roſenſem quàm præ uobis omnes facile contemnetis? Itaque nihil apud uos, & ueſtros theologos doctorum apertiſſima argumenta, nihil populi chriſtiani conſenſus, nihil ſacroſancti concilii authoritas ualet, ſcilicet cum hæc quaſi terrena nihili facitis, de cælo diuini uos augures obſeruatis. Sed tamen forte timetis, ne aliquam uobis iſta diſceſſio ab ante cæpta Lutheri opinione ad Eccleſiæ Romanæ fidem, labeculam aſpergat. Quaſi uero non inanius multo atque fœdius ſit, quod apud te non probes, pertinaciter apud alios idcirco tueri uelle, ne leuiter uidearis id ſemel amplexus derelinquere. Quinetiam illud addo, plures ueſtrum non dico à Luthero ad Eccleſiam, ſed uel ab Oecolampadio ad Lutherum hoc inani leuitatis metu impeditos, nõ fuiſſe auſos diſcedere. Cæteros miſſos facio hæreſiarchas, inter quos quot capita, tot falſæ & impiæ inter ſe diſcrepãtes opiniones. Idcirco ſi tandẽ rẽ ipſam, recte tamẽ exiſtimare uultis, nihil uos hic morabitur metus, quominus relicto errore Lutheri ad Eccleſiæ ueritatẽ accedatis. Nã ut is qui honeſtũ aliquod munus & officiũ ſuis humeris ſuſcepit, metu leui pulſum deponere, non niſi abiectiſſimi & leuiſſimi cuiuſque eſt, ita ab inchoato aliquo maleficio, a ſuſcepto

ſcepto uitæ turpis inſtituto auerti, & ad uirtutem ueritatemque transferri, optimi & conſtantiſſimi uiri conſilium putandum eſt. Itaque Mariæ pulcherrimæ illi Magdalenæ, quòd ab ante actæ uitæ licentia ad ueram conſtantemque uirtutem abierit, tantũ abeſt ut ulla ſit macula turpitudinis impreſſa, ut eo ipſo conſecuta in poſterum eius ſanctitas multo inſignior & illuſtrior merito fuerit apud omnes. Auguſtinus uero diuinus eccleſiæ doctor nonnulla in operibus ſuis mutando & retractando effecit, ut nulla nunc ne uobis quidem in eo mutanda uideantur, nullamque in hoc leuitatis & inconſtantiæ infamiam ſubiuit, ſed maximam conſtantis eſt & ſapientis uiri laudem conſecutus. Quid autem ille conuerſus & pænitens latro ad Chriſti dexteram, alligatus ad palũ, quàm feliciter & honorifice conceptam & exercitam prædandi, & depeculandi diſciplinam penè cum ipſo extremo ſpiritu depoſuit, Chriſtique doctrinam uno hauſtu perdidicit ſine metu leuitatis, & cum ſpe magna gloriæ? Quare nihil uos iſte timor impediat infamiæ, cum nulla poſſit maior eſſe, quàm placitis Dei, & parentis Eccleſiæ aduerſarium eſſe; & nulla amplior laus reperiri poſſit, quàm ſpreto hominũ male de rebus opinãtiũ iudicio, diuinis Eccleſiæ præceptis & uoluntati obedire. Et quãquàm hæc quæ ſuperius de utilitate, & honore ueſtro dicta ſunt, ſatis etiam ipſa clamitent Lutherum, & cæteros huius nouæ religionis authores, diſſipatores ſingulares, ac prædones fuiſſe reipub. tñ nunc, quoniã ueſtra benignitate audiendi utor, de eo aliquid ſeparatim & breuiter dicamus. Nam res ipſa (credo) uos publica, ut in ea Lutheri ſecta hærere uelitis, adhortatur: quam quidem rempub. ſi florentiſſimam & optimam conſtitutam haberetis; hac ueſtra noua religione ſeditionis nutricula euertiſſetis. Quid autem huc incidi ut dicerem, ſi haberetis? Habuiſtis certe & florentiſſimam, & pacatiſſimã, ſed eã ueſtris iſtis ſingularibus legibus funditus deleuiſtis. Sed ueritatis ſtudium impulit. Nihil in hac propemodum ſecta ueritati loci relictum eſt, quia omnia falſitas occupauit. Sed honoris cupiditas adduxit. Audite Demoſtenẽ uirum ſapientem & eloquentiſſimum. Flagitioſa, inquit, lex (utor libenter latinè his uerbis, quibus ille uſus eſt græcè; quòd ſciam uobis eum eſſe perfamiliarem) eius urbis eſt, in qua recipitur publicum dedecus & ignominia, nocetque omnibus iis qui utuntur ea. Sed enim noua hæc ſi ueſtra lex bona & ſalutaris uideretur, tamen ſi eam ſine uniuerſi populi rogatione & decreto, ut feciſtis, ſanciretis, eam abrogandam omnes ſapientes, omnes boni proculdubio iudi-

iudicarent. Nunc cum improba ſit, cum bonis moribus tamquàm luminibus officiat, cum iuuẽtutem corrumpat, omnes ciues deprauet, remque ipſam publicam optime à maioribus noſtris ſtabilitam diſſoluat (mitto quòd Eccleſiæ Chriſti, quòd legi diuinæ ſit maxime contraria) eam legem quiſquàm defendere audet, aut porro ſequi, ac non potius tamquàm deteſtabilem uitare? Audite Platonis, quem uos diuinum quoque uirum appellatis, uerba. Nihil in legibus moueatur, ac ſi qua neceſsitas urgeat, magiſtratus omnes, & populus uniuerſus in commune conſulant, & omnia Deorum oracula petantur, tunc ſi horum omnium erit unus conſenſus, quod utile uidebitur, ſanciant, aliter uero numquàm, ſed uel unius, qui aliquid mutari uetet, interceſsio uincat. O uirum plane dignum qui literarum monimentis celebretur ad memoriam poſteri temporis ſempiternam. Sine neceſsitate nihil ex lege mutari permittit. Nulla nunc erat, niſi forte neceſsitas erat deprauandæ chriſtianæ religionis, ut Luthero diuino uiro liceret ſimul cum cæteris gurgitibus reipub. ſanguinem helluari. Sed eſto, ita ea urgente uidelicet cauſa, fuerit neceſſarium, num conuocatus eſt per uos Pontifex maximus, num amplisſimum collegium, num omnes antiſtites, Reges, ſelecti Principes, uniuerſus populus chriſtianus, ut de ueſtra iſta ſanctarum legum rogatione cognoſcerent, conſulerent, decernerent? Nihil minus, ut qui has leges inter cyphos & pateras non dicam ebrioſi, ſed bene poti ſanxiſtis. Num Chriſto Deo in primis maxime, deinde cæteris diuis, ut in tanta reipub. mutatione quid ſanciri oporteret, interiore aliquo mentis inſtinctu prædicerent, decretæ ſunt ſupplicationes? Minime. Quid ergo uobis ſuperbe tantum arrogaſtis, ut auderetis non dico ſine populi chriſtiani rogatione, ſine ſenatus conſulto, ſine patrum conſilio, ſine amplisſimi collegii ſententia, ſed uel ſine cuiuſquàm ſapientis, & optimi ciuis conſenſu religionem noſtram ſanctam reſcindere, ueſtram ſceleratam ſancire, inſtituta maiorum interuertere, labefactare rẽpublicã? Atqui nemo iis ueſtris legibus unus interceſsit, ita eſt, non nemo interceſsit, ſed uniuerſa plebs, omnes boni, optimates, Reges omnes, Imperator ipſe, ipſe Pontifex maximus. Quòd ſi recte iubet Plato, unius interceſsione mutationem antiquæ & uſu receptæ legis impediri, tot hominum, gentium, populorum, & fere terrarum orbis interceſsione non impedietur? Sed hominis non chriſtiani dictum, cum de religione agitur, paruipenditis. Immerito hoc quidem. Is enim Plato fuit omnium ſententia recte philoſophantium philoſophus, tã alto & perſpi-

perſpicace ingenio prædítus, tam incredibili rerum omnium eruditione, tanta uitæ honeſtate, & uſque adeo ſanctiſſimis moribus exornatus, ut ante Chriſtum natum fama ſit eum Chriſtum uenturum & ſeruaturum genus hominum diuina concitum præſagatione dixiſſe. Sed ita fuerit necne, nihil ad nos: tantum dico, ſi ſemel Chriſtũ cruci affixum Plato coluiſſet, & diuino ſpiritu p aquã baptiſmi in Eccleſiam Romanam ſuſceptus fuiſſet, nunquàm ab hac ſanctiſſima Chriſtianorum conſpiratione ad hoſtium, & Martini Lutheri funeſta, & coinquinata uexilla, & ſcelerata caſtra defeciſſet. Igitur non illius nobis uitæ inſtitutionem ſequendam cenſeo, ſed de non mutandis Eccleſiæ legibus eius uobis regulam & præſcriptionem ad imitandum propono. Etenim ſi ſanctorum Hieronymi, Damaſceni, Auguſtini, & cæterorum uirorum ſanctiſſimorum & doctisſimorum nomen oppono, indignaris: ſi Sancti Franciſci, Dominici innocentiam & ſanctitatem, irrides: ſi Pontificum ſummorum authoritatem, mera inſomnia me narrare dicis: ſi eorum argumenta & rationes, qui cum noſtræ fidei & religionis ciues ipſi non fuerint, tamen ſuis ſapientibus dictis tuam effrænatam audaciam reprimunt & condemnant, pro nihilo ducis. Quid igitur huic homini facias, aut qui lubricum uelut anguem comprehendas? cuius impudentia tanta eſt, tam uerſatilis natura, ut ab argumentis in ſe iactis ad authoritatis latibula, àb authoritatibus ad argumenta confugiat, celeriterque ſerpens elabatur? Hoc etenim ſemper hæreticorum fuit proprium, ut nullam in dictis conſtantiã ſeruent, ſed modo iniquis rationibus tueantur ſua dogmata, modo ab his excluſi ad ſimilitudines & exempla confugiant: iam aliquid affirmant, quod ſtatim negent: iam hic id negant, quod apud alios ſunt breui confirmaturi. Nihil afferunt niſi inſidioſum, & quod poſsint in uarias diuerſaſque partes interpretari. Aliud itaque ſemper obſcure moliuntur, aliud ſpecie ſimulationis oſtentant, quod ipſum & ſi omnibus compertum eſt, qui in hiſtorijs temporum ſunt aliquantulum uerſati, tamen breuiter nunc percurram hunc locum, ut intelligatis quantum fidei ſit his uerſicoloribus magiſtris a uobis tribuẽdum. Omnes dies æquales eſſe dicunt: ſi contra arguat catholicus, ſi Chriſtum opponat, ſi afferat præceptum de celebrandis feſtis diebus. Natura, inquit diuinus hic uates, pares dico, ut nullo ſcilicet die peccare liceat. Recte narras: at inter eos, quos miſere traduxerunt, non ita interpretantur, ſed cum dies omnes inter ſe pares fecerit Deus, non minus feſtis diebus operari licere, quàm prophanis.

Neque

Neque diſſimile illud eſt, neque minus plane ueteratorium, & fallax. *Cor totum eſt*. Si quis hic interpellet, ſi opera quoque neceſſaria eſſe contendat, ita ſuum dictum interpretantur, quia uidelicet de corde libidinoſæ & malæ cogitationes, iræ, rixæ, cupiditates emanant. At in conuenticulis ſuis apud imperitam plebem uulgo aſſerunt, ſatis eſſe ſi bonum cor habeas, ſi bonum affectum: operibus autem bonis ad ſalutem obtinendam opus eſſe nihil. Cuiuſmodi quoque & illud eſt Cæleſtii cuiuſdam, qui pelagiana infectus labe, coram Innocentio Pontifice Maximo metu fractus, quaſi quæ dixerat, labem Adæ non latius in humanum genus profluxiſſe, commutare nunc uellet ac retexere, dixit damnare ſe, qui aſſererent peccatum Adæ ſibi ſoli obfuiſſe, & non humano generi: in qua hominis cōfeſsione nihil doli ſuſpicatus ille Pontifex maximopere recreatus eſſe dicitur, quòd putaret Cæleſtium iam mutata ſententia ab Eccleſiæ placitis ſtare, cum tamen ille longe aliter inter ſuos hoc modo explicaret, Adamum obfuiſſe hominum generi Dei præpotentis obedientiam abiiciendo, quòd hoc exemplo ad ſimile factum ſtirpem ſuam excitauerit: non autem quòd id ab origine uitium impoſteros eius ſit tranſlatum. Quid autem illud Hieronymi de Praga, nonne impudentiſsimum uobis, ut eſt, uideri debet? qui cum obſtinate defenderet, in diuina hoſtia panem eſſe poſt religioſiſsimam conſecrationem, ac Catholici litem ei intenderent, & quaſi ex iure manu conſertum uocarent. Verum, inquit, eſt poſt conſecrationem manere panem, ſed apud piſtorem. O uirum grauem & facetum, & cui tuto credatis de ſumma religione, qui ita in re ſeria ludat, & in totius chriſtianæ religionis multo grauiſſimo negotio uideri magis uelit urbanus, quàm Chriſtianus, cum alioquin nihil ſit niſi ridiculus. Mitto Vualdenſes, qui rogati ab Eccleſia, confitebantur in hoſtia Chriſti adeſſe corpus: ubi paululum apud ſuos reſpirare licebat, ita interpretabantur ut dicerent, non reuera inibi Chriſtum eſſe, ſed ſimilitudine quadam & imitatione, quemadmodum rectæ uitæ ſimilitudine dicebatur, Ioannem fuiſſe Heliam. Tum etiam illud attendite, ſolere iſtos diuinos, ſcilicet uates, nouam tunc aliquam ſectam aduerſus almam Eccleſiam introducere, cum in petitione honoris ſunt, & alicuius dignitatis præteriti. Valentinus epiſcopatum ambiebat, tulit repulſam: contra Chriſtum hominem continuo impium quoddam dogma concinnauit. Nouatus quoque pontificiæ dignitatis cupiditate incenſus, cum omnium ſuffragiis eſſet præte-

ad euertendam remp. Itaque cum cunctam Germaniam ſeditionibus primum perturbaſſet, & in armis eſſe feciſſet, ad quæſtum & numationem animum adiecit. Grandem itaque confecit pecuniam, & multos alios ad ſimile exemplum nouandarum legum, & delendæ religionis concitauit. Hinc Melancthon, Zuinglius, hinc Caluinus, & cæteri, quanquàm alius alio tempore, exorti ſunt, qui florentiſſimas Prouincias, opulentiſſima Regna, & pacatiſſima Imperia concitauerunt, atque breui hac turbulenta regēdi ratione infirmationes rerum antiquarum, nouæ dominationes, extraordinaria imperia conſtituta ſunt, totaque Germania multis præliorum tempeſtatibus iactata. Britannia multo ſanctiſſimorum uirorum ſanguine inundauit, & quæ Romanæ Eccleſiæ ritus, cæremonias, & ſacratiſſimam religionem in primis obſeruabat, ad hæreticorum uentoſa documenta miſerabiliter eſt tranſlata. Quid autem Britannia? ipſa quoque Flandria magna ex parte contagione affecta eſt, neque minus iàm Gallia. Sed quoniam Britannorum mentio facta eſt eorum, qui a pietate chriſtiana deſciuerunt, quàmuis in initio dicendi ſtatueram ſeparatim nihil dicere, ſed genera tantum ipſa ſcelerum promiſcuè attingere, tamē offert hic ſe ſingulare quoddam Britanni cuiuſdam & horribile factum, quod ut intelligatis, quò ſit progreſſa audacia hominum in Chriſtum, ſimul ut uobis in poſterum a ſimili dementia caueatis, quantum rei magnitudo ferat, uobis breuiter exponam: ubi expoſuero, nihil amplius dicam, ſcitote a me iam tunc eſſe peroratum. Vliſipo urbs eſt in extrema ſita Luſitania, maxima quidem, & omnibus rebus ad uitam neceſſariis ornata & plena: portum habet ampliſſimum, & ita natura ipſa loci & arte munitum, adeo pulchrum aſpectu, ut omnium qui ſunt in Luſitaniæ oris ſit facile princeps. In eum recipiuntùr naues ex India, Aetiopia, Hiſpania, Italia, Illyrico, ex inſulis omnibus tot tantæque, ut qui portus totam ipſam uel Europam poſſe capere uidetur, uix tot capiendis nauibus ſatis amplus eſſe uideatur. Vrbs uero ipſa ad mare longiſſime expoſita, tot mœnibus, turribus, ædibus ampliſsimis & ſacris & prophanis, tanto marmore, iaſpide, tot acroteriis feneſtris eſt exornata, ut quicquàm aſpectu pulchrius in terris ſol nō uideat. Inibi Regia domus eſt, totiusq; regni conſilium publicum: oēs hic lites, & iudicia, oīagrauia, & magna negotia geruntur. Itaque multi in eā ex omni parte mercatores cōfluunt, multiq; in ea ſunt artifices, multi fabri, multi equites, milites, optimates, & uiri quoque principes & primarii multi: & rurſus multi quoq; arato-

res, portuarii, publicani. Magna ſemper abundat copia rerum eſculentarum, multa carne, piſcibus, fructibus ex omni genere, lacte, caſeo, melle, oleo, uino, cæterisq; rebus omnibus, quæ ſunt ad uſum hominum neceſſariæ, & uſque adeo ampla & celebris eſt, ut non recte eam unam Luſitaniæ ciuitatem, ſed totius orbis commune emporium eſſe dixeris. In hac ipſa urbe quæ omni loco, omni tempore copioſa & ferax eſt (ut aliquando intelligatis, hæc tantæ Vliſiponis laudes tam alte repetitæ, quorſum pertineant) in hac, inquam, ab hinc quatuordecim annos Ioannes Regis Luſitaniæ filius unicus uxorem ſumebat in matrimonio Ioannam filiam Caroli quinti Imperatoris: & cum maxime per eos dies celebritatis tantæ cauſa tota ciuitas conuiuiis, & ludis publicis, & incredibili lætitia fruebatur; tum domus ipſa Regia periſtomatis ſericis, multisque & admirandis picturis, & marmoreis, textilibusque ſimulacris adornata erat. Et cum die quodam ſolemni & feſto rei diuinæ cauſa pulcherrimam & ampliſsimam aulam, & eam quoque pretioſa multa ſtragula ueſtis, & periſtromata aurea textilia, & argentea regifice exornabant, Rex cum filio elegantiſsimo, & pulcherrima nuru, & ampliſsimo Cardinale fratre germano ingrederetur, magna caterua hominum omnis generis eos comitabatur: tunc cantu dulciſsimo, & tybiis ſuauiſsimis, & tubarum ſonitu omnia percrepabant. Diceres tunc Luſitanos omnes magna cum lætitia & ingenti gaudio non ſolū diem feſtum agere, ſed uel etiã triumphare. Eſt enim ea gens ita ſuorum regum amantiſsima & obſeruantiſsima, ut cum de Rege incidat mentio, quamuis in ſuis quiſque priuatis ædibus cum uicino, aut cum familiaribus agat, non fere quiſquàm niſi aperto capite loquatur. Itaque cum uiderent Regis filio principem feminam nupſiſſe, eamque integerrimam & ſpectatiſsimam, magna omnes in lætitia uerſabantur. Videte quàm funeſtus, ac triſtis euentus tantam exceperit alacritatem. Sacra incipiunt fieri ad Dei altare, quod erat erectum in aula: aderat iam ſacerdos, qui Deo optimo & max. quem primum in Paradiſo uoluptatis Adamum cum Eua ſacramento matrimonii copulaſſe conſtabat, ut has regales nempe nuptias fauſtas ac felices eſſe uellet, ſacrificium coram populo ſumma religione faciebat. Conſecratur hoſtia, accipit eam in manum ſacerdos populo demonſtraturus: & ecce diſcipulus quidam Lutheri, & horum legumlatorum alter orcus, diſsimulanter ac ſubito in tanta Chriſtiani populi lætitia & celebritate, coràm potentiſsimo Rege, cum is Lutherianus ad aram uideretur accedere, cui, o Deum

ho Deum immortalem, ueniſſet in mentem ſubuereri eum accedere, ut ſanctiſſimam aram ſui contagione funeſtaret? ſed is, inquā, ſubito ad presbyterum accedit (cum hæc cogito, exalbeſco dicens, ac totis artubus contremiſco) diuinam hoſtiam, hoceſt, Chriſtum, ipſum Deum optimum & maximum arripit, & aufert de manibus presbyteri. Quid plura dicam? Hic me iam uox, latera, uerba deficiunt, dicam tamen: Panis angelorum interuerſus in ipſo pauimento, ſtragula tamen ueſte ſubſtrato, integer & illæſus reperitur. Aduolant omnes in ſacrilegum hominem, apprehenditur; ac nihil propius factum eſt, quàm ut is eorum non enſibus, ſed uel unguibus & dentibus dilaceraretur: ſed Regis non minus Chriſtiani, quàm ſapientis iuſſu, quamquàm ægrè, tamen factum eſt; ut ab eo manus abſtinerent. Conſtringitur uinculis, datur in cuſtodiam: uoluit enim optimus & Rex quàm maxime pius indagare, & exquirere, num fœcundius aliquod in Regno abdite lateret tanti mali ſeminarium: ſed ubi intellexit nullius impulſu, aut iuſſu, ſed ſponte ſua & nutu, quòd à ſuis theologis audierat in conſecrata hoſtia diuinum Chriſti corpus non adeſſe; ab illo nefario & improbo interpellatore tantum id facinus eſſe ſuſceptum; iubet ut uiuus igni exuratur, cumque religatus ad palum iam iam in rogo eſſet, in tanta Dei contumelia nō ſibi ſatisfacere qui aderant, putauerunt; ſi multum operæ in eo exurendo igni auidisſimo relinquerent. Itaque & ignis maximum incendium, & auiditatem anteuertunt, & nefandum hominem ſeptis, & lapidibus, & manibus diſcerpſerunt. Sed quis tamen hic tanta ſit copia dicendi præditus, ut cum ſacrilegus inceſtas manus ad hoſtiam inieciſſe uiſus eſt, fletus, & gemitus Chriſtianisſimi Regis, amplisſimi Cardinalis, ac uniuerſi populi lamenta dicendo aſſequatur? Non ita flebiliter, & tanto cum gemitu, aut dolore in direptione urbis uideas miſerabiles feminas, ac infelices ſenes, ac infantes pueros, patriæ ruinam lamentari. Sed is quidem mihi Rex uel eò ipſo quòd infelicisſimum ſe, quia in conſpectu ſuo & domo tantum ſcelus patratum eſſet, iudicabat, felicisſimus planè & fortunatisſimus uidebatur. Sed tamen, ais, cuias hic erat. Recte admones: non equidem germanus. Tanta enim apud uos maiorum reuerentia, tanta in moribus ciuilitas, tanta ubique ingenuitas & pudor eſt, ut etſi id fieri contra religionem ueſtram haud eſſe uideretis; tamen tanti Regis ac liberorum eius, ſanctisſimi et Cardinalis, & uniuerſi populi maieſtatem numquàm non dico irritandam, ſed uel paulo leuius uobis cōmouendam putaretis. Britannus eſſe dicebatur,

cebatur, & ſecta Lutherianus, imitatione ſceleris alter Iudas, ac mea quidem ſententia ſi hominem cum homine, & cum ſcelere ſcelus iſtis temporibus conferatis, non minus hunc quàm Iudam Scariotem, accommodata quadam comparatione nefarium & impium reperietis. Iudas enim in Chriſto uendito turpiſsimum illum quidem neque ſane magnum, ſed tamē triginta numùm quæſtum fecit: hic nullum. Iudas perſuaſione, & magnis promiſsis principum Iudæorum forte incitabatur; hic nullius. Ille ut res non optime caderet, tamen perfugium ſibi apud eoſdem Principes paratum putabat: hic apud Regem Luſitaniæ certiſsimum ſibi interitum uidebat. Ille dominum & magiſtrum cum uendiderit, tamen eum oſculo, & blandis uerbis ſalutauit: hic aſperis in eundem inuectus eſt. Ille uel digito Chriſtum non pulſauit: hic ſua manu lacerare tentauit. Illum quàmuis dure obſtinatum, tamen quoquomodo ſceleris admiſsi pænituit: hunc ſui ſceleris numquàm. Exitu autem pene pares fuere. Iudas enim collum inſeruit ſe in laqueum, mediuſque crepuit: hunc rogus ardentiſſimus deuorauit. Itaq; quãuis hic immitatus alterū eſt, longo tamen interuallo immanitate quadã ſceleris ſuperauit. Sed hoc loco, rogo uos, ut perſpiciatis q̃ religioſa & ſapiens ſit hæc nouæ ſectæ perſuaſio, quæ neque homines, neque porro Deum ipſum reuereatur. Nam ſi tantò mentis furore capiebatur, ut Deum mentis oculis non perſpiceret, at aſtantem populum frequentiſſimum, Regis ſacrum diadema, purpuream dignitatem, regalia pignora non uidebat? Et ſi potentiſſimi Regis, & tot Principum, tanti conuentus authoritatem, uim, arma contemnebat, Chriſti præpotentis flagellum & fulmina non formidabat? Facinus fuit Chriſtum uendi, ſcelus accuſari, ſacrilegium uerberari, parricidium necari, quæ quia grauioribus uerbis immania crimina appellare neſcio, quibus poſſum appello: ſed tamen ſi hæc multis horis, diuerſis temporibus, a multis non ab uno geſta, tamquàm immenſa flagitia condemnantur: qui hæc omnia non diuerſo tempore, non actu diuiſo, aut per interualla ſuſpenſo, ſed uno pene puncto temporis ſolus perpetrauit, quẽ eum ſatis digno nomine appellandum cenſemus? Num ſceleratum appellabimus? ita dicitur qui uel prophanum læſerit, at hic ſacrum uiolauit. Num ſacrilegum? eſt utique, ſed parentem quoque occidit: num ideo parricidam? Non ſolum ſuum, ſed cæterorum aſtantium, atque adeo totius hominum generis parentem lacerauit. Quibus igitur uerbis tantam impietatem, atrocitatem, diritatem explicabimus? Ego certe hic oratione deficio, uos quo ſit ea

nominē

nomine appellanda penditote. Ita tamen ſtatuere debetis, Germani uiri, ſi iniurius eſt qui liberum hominem uendidit, hunc uendidiſſe: ſi ingratus qui magiſtrũ iniuria afficit, hunc affeciſſe: ſi parricida qui parentem occidit, hunc occidiſſe; ſi denique impius & immanis qui Deo manus ſacrilegas admouet, hunc admouiſſe. Ergo iniurium, ingratum, parricidam, impium, ueſtris legibus nõ ſolum defenditis, ſed etiam laudatis? quo quid poteſt illa eſſe eximia ueſtra, & perantiqua germanorum prudentia, ſanctitate, nobilitate indignius? Nam ſic unuſquiſque ueſtrum agere debet, atque ita rem ipſam cum animo ſuo perpendat, ut abducat mentem ab hoc rerum ſtatu & tempore, & ad id tempus, quo Lutherus perturbare cœpit rempublicam, mentem ſuam, & ſe cogitatione traducat: ac tum quidem ſi ei Lutherus dogmata illa ſua uni ante oculos poneret, honeſtaque eſſe diceret, ac probare multis uerbis contenderet, non is, ſi ſaperet, cum ea contra conſenſionem tot gentium, populorum, nationum, totius Eccleſiæ catholicæ cogitata uideret, uel abiudicaret prorſus atque reiiceret, uel ad ſummum Pontificem Romam examinanda mitteret, uel ipſe deferret. Credo neminem eſſe, qui eam ſibi uitæ formam, cuius Lutherus ſe authorem profiteretur, reiecta Chriſti lege ſibi ſequendam putaret, niſi eſſet omnium hominum inſaniſſimus. At nunc eandem ipſam ſequeris, quia uides nonnullos, uel etiam non paucos ex ueſtris eſſe complexos. Ergo unius ſola Lutheri authoritas, quæ nihil contra tot ciues Eccleſiæ, tunc apud te erat ualitura, nunc ualebit contra eoſdem, contra Eccleſiam, adde etiam contra Chriſtum, paucorum hominum opinione & uiribus corroborata? Sed tunc, inquis, de unius hominis iudicio dubitarem: nunc cum idem tot homines approbent, cur ipſe diſſentiam? fac eos non approbare, quia contra Deum eſſet, non acciperes. Nunc quàmuis ſit contra Deum, quia multi approbant, acquieſcis? non ita. Sed quia multi approbant, non puto eſſe contra diuinã legem. Quid ſi oſtendero contrariũ? quid ſi conuinco? nũ cauſæ quid dices, quin aut deprauatiſſimus habearis, aut mutes ilico ſententiam, & unde ſolum uertiſti, reuertaris ad Eccleſiam? Cætera omnia in præſentia mitto. Libertatem (hoc unum de uobis, de ueſtra ſalute amantiſſime dicentem, oro uos ut benigne, & attente audiatis) libertatem, inquàm, arbitrii uobis eripit Lutherus. Quid Chriſtus ait, *Si quis uult uenire poſt me*: ergo non ſequetur qui non uelit, non ſecutus eſt Lutherus, quia cum neceſſarium non eſſet, ſed in ſuæ uoluntatis poteſtate ſitum, Chriſti crucem ſcilicet, delicatus homo deterri-

tus

tus doloris, & angoris,& cruciatus metu complecti noluit. Atque hoc loco non eius dogmata refuto, tantum diſputo, ea eſſe diuinæ legi contraria: quod ipſum uel hoc uno argumento ita planum uidetis, ut nihil eſſe poſſit explicatius. Ergo Lutheri legem, quāuis infinitus hominum numerus comprobaret, qui uere fidelis & ſeruus Chriſti eſſet, eam in domum ſuam non reciperet, quam ui deret legi Chriſti contrariam. Nam ſi multitudini potius quàm ueritati ſtandum eſt, cur non idola tibi colenda ſumis, quæ tot barbaræ nationes, tam innumerabiles gentes in India & uaſtiſſimis orbis regionibus colunt? Quia id, inquis, honori Dei officit, recte: ſed ſi eādem Lutheri ſectam uides quoque officere, & obſtare Dei præceptis, ut quanquàm obiter, aperte tamen demonſtrauimus; cur tantopere eam amplecteris? cur tā ſuauiter oſcularis? An quia durum eſt (ignoſcite mihi, ſi de quibuſdam eorum, qui omnibus ſe uitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis imbuerunt, paulo liberius agam) an, inquam, quia durum eſt, quantumuis deformatam, & ui eam, cum qua libidinoſe uitam egeris, amaſiam, tam cito relinquere? hoc ſi eſt, ſi ita ueneficiis infatuatus teneris, miſerabimur: ſin uero mentis prauitate deceptus, audacia incredibili elatus, atque tumida arrogantia confidens tantū tibi aſſumis, ut in Deum, & in eius Eccleſiam inſurgas, te uero iure odimus & execramur: quanquàm quæ tua hæc inſignis ſtultitia eſt, exiſtimare idcirco ad eam tibi normam dirigendas eſſe uitæ actiones, quam præſcripſit utherus, quòd eam plures ſequantur? An non ne uides ante hos annos ſolos Germanos huic tyranno manus de diſſe, cæteros omnes qui in Aſia, Europa, Aphrica uitam agunt, Pannones, Thraces, & eos qui incolunt Illyricum, Venetos quoque, Inſubres, Italos, Celtas, Gallos, Hiſpanos, Luſitanos, Græcos, Armenios, Aegyptios, Arabes eſſe aduerſatos? Sed infamiam adhuc times, ne forte tibi uitio detur & leuitati, intra breue tempus te duas coniuges repudiaſſe, audio: ſed adultera, uel concubina potius repudiata lectiſſimam & uere caſtam matrem familias tantummodo retinuiſſe, maxime laudandum eſt. Nam quid hoc niſi ſumma impudentia eſt? Nam ſi contemnere quid de te ſentiant uel pauci ex uulgo imperitorum, diſſoluti & impudentis eſt, quid omnes de te loquantur & ſentiant, boni, ſapientes, eruditi, ſancti contemnere, cuius tandem improbitatis & impudentiæ putandum eſt? Et quoniam quantum incommodi afferat priuatorum commodis, quantum dedecoris, honoratis uiris & honeſtis, quantum detrimenti rebus publicis hæc noua impietas

uidetis,

uideris, non eſt cur ita obſtinate in pernitiem ueſtram comple-ctamini. Porro cæteris in ciuitatibus ad euertendos nouarum le-gum authores leges ſanciuntur: uos in ueſtris ciuitatibus feretis hæreſiarcam legem ſancire, plenum furoris, expertem conſilii, inanem ueritatis. Cæteri ciues perſequuntur Eccleſiæ hoſtes: uos ſanctos Eccleſiæ uiros ignominiis, uinculis, uerberibus, exiliis, morte mulctabitis? Cætera prætereo. In Britannia Epiſcopus Roſ-fenſis, & Thomas Morus, at bone Deus, quales uiri, quanta fi-de, conſtantia, magnitudine, mentis ſanctitate præditi, iugulati ſunt, eorum ceruices fregiſtis, capita amputauiſtis, corpora ad ſe-pulturam non dediſtis, denique ignominiis omnibus cadauera affeciſtis. Deinde multos ac innumerabiles ciues iugulari iuſſiſtis ob eam ſcilicet cauſam, ut reuiuiſceret iſtic Lutheri cauſa, toties per eundem ipſum Henricum regem iugulata. Ergo tam late po-tens unus erit Lutherus, & perpauci quoque non abſimiles rerum nouarum machinatores, ut inexpiabiles inducant in rempub. re-ligiones contra maiorum noſtrorum, contra Regum, ciuitatum, gentium, ſapientiſſimorum hominum conciliorum & ſacroſan-ctæ Eccleſiæ Romanæ uoluntatē? quāquàm neque fideles ſolū chri ſtiani, ſed uel Turcæ ipſi & Mahumetani, ethnicique omnes hanc ab ſe Lutheri diſciplinam tamquàm ſeditionum omnium fontem & nutriculam deteſtantur. Vobis igitur ſolummodo placebit? ſu-ſtinebitis, Germani populi, uni potius uos non ſatis ſobrio ueſtris commodis, honoribus, reipub. pernitioſo Luthero, quàm tot gentibus, tot ciuitatibus, tot hominibus honeſtiſſimis, ſapien-tiſſimis, eruditiſſimis non crediſſe? tam ſanctæ Romanæ Eccle-ſiæ religioni reſtitiſſe? Suſtinete, reperietis profecto uiui nunc, aut iam iam (exiguum enim uitæ curriculum hominibus natura conceſſit) uita defuncti, cum ſanctiſſimus & integerrimus bonorū & uitiorum iudex in uos ſedeat iudicaturus, relicta Eccleſiæ ueri-te, & leue mendacium uos & tenebras ſecutos fuiſſe. Etenim cæ-teri ſi delirarunt, aut reuocati in uiam rediere, aut certa quadam & leui de re à nobis diſſenſerunt. Hic uero ueſter cæteros omnes ſupergreſſus, neque uno ſolum capite de religione diſſentit, ne-que reuocatus redit, neque argumentis frangitur, neque ullis ra-tionibus mouetur, neque precibus exoratur, neque ſummi Ponti-ficis excommunicatione & anathemate coercetur. Itaque hunc, & ſodales eius pertinaces certe ac duros nulla uis, nullum ius, nul-lum periculum poteſt de ſuſcepta cauſa depellere. Quid autem iu-ra uident? Turcarū maximas copias nobis minitari, ac ueſtris iam

faucibus

faucibus imminere,nihilo tamen minus conantur propoſitam cau ſam defendere,Chriſtianos permiſcere,rempub.perturbare:atque ita quidem perfido chriſtianæ religionis hoſti Solimani filio faciliorem uidetis aditum, & magis expeditum eſſe in ueſtras regiones,in ueſtra regna,& ciuitates,in ueſtras domos. Enimuero ſuperiore proximo anno uidiſtis Maximilianum inuictiſſimum Imperatorem ueſtrum contra potentiſſimum tyrannum intra ſuos Regni fines dimicantem. Nunc & ſi ſedata uidetur hæc tempeſtas, tamen neque inhibeantur remi, neque uela contrahantur. Solet autem hæc perfida natio,cum nos uident ſecuros,ac inter oſcitantes, adoriri de integro, magniſque bellorum incendiis bonam Europæ partem deuaſtare.Quòd ſi omnes uos,Superi immortales, & qui uiri; ad Eccleſiæ cauſam æquiſſimam conſpiraretis,non uos Thraces, non Aſyrii, non denique cuncta Aſia de ueſtris ſedibus uel unguem latum dimouere potuiſſet. Sed hac implicati turbulenta religione, acerrimo Chriſti, & omnium ueſtrum hoſti interclusum aditum aperuiſtis. Sed iam ſatis multa de cauſa,extra cauſam etiam fortaſſe permulta: nihil reliquum eſt, niſi ut obſecrem uos, obteſterque uiri Germani, ut honoris ueſtri, uitæ, fortunarum omnium, denique immortalium ueſtrarum mentium rationem habeatis, ut memineritis maiores ueſtros antequàm hæc oculorum aciem alioqui acerrimam nebula Lutheriana præſtingeret, omnes non ſolum Eccleſiæ Romanæ amatores, ſed etiam propugnatores fuiſſe, contra omnes eius hoſtes magna,& periculoſa prælia geſsiſſe. Itaque hac de cauſa in ueſtro regni domicilio; in ueſtris ſedibus chriſtianisſimis Romana Eccleſia caput Imperii & domicilium collocauit, ſedemque Romano Imperatori delegit, ut eſſet iſtic tamquàm in ſpecula, ac dies noctesque continuo obſeruaret, num aliqua uis afferretur, num aliqua in hanc catholicam Eccleſiam fraus compararetur, ut ſedulo uos quoque excubaretis, de eius matris ſalute & honore, ideſt, deueſtro ſoliciti. Suſtinebitis igitur, ut quemadmodum nunc de ueſtris maioribus prædicare poteſtis, Romanam Eccleſiam nobis maiores noſtri colendam reliquerunt: ſic ueſtri poſteri de uobis prædicent,Romanam Eccleſiam patres noſtri acceptam a patribus ſuis perdiderunt? Quare quæ accepiſtis ab illa inſignia honoris,ad eius nunc deformationem abutemini, & quæ arma ad defenſionem, contra illam comparabitis? An ita uos acceptorum beneficiorum memores gratosq; præbebitis, ut gladium ei admoueatis, quæ a ceruicibus ueſtris amouit? mortem afferatis, quæ uitã

dedit